

DE
HYDROPHOBIA
ET
ABIE CANINA.

PRAE S I D E
ANN. CHRISTOPH. ANDREA
MAYER

RENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS.
A C O N S. AVL.

D. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANATOM.
STOL. CHIR. ET ART. OBSTET. PROF. PVBL.
DIN. CIRCULI LEBVIENSIS ET CIVITATIS
RANCOFVRTANAE PHYSICO, ACAD. CAES.
NAT. CVRIOS. SODALI, H. T. FACVLT.

MED. PRODECANO,

GRADVM DOCTORIS
EDICINAE ET CHIRVRGIAE
LEGITIME CAPESSVRVS

IE OCTOBRIS cIccCLXXXIV.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

EORGIVS HENRICVS BOEHR,
FREYSTADIENSIS SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

AUTHOR OF THE

ANNUAL

PE

CH

MED

S. R.

TENT

SILHS

REGIO

COLL

NEC.

ATQV

SORV

RVM.

ACAD

SIS.

E

V I R O.
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO.
EXPERIENTISSIMO.
D O M I N O.
CHRIST. ANDREAE.
COTHENIO.

MEDICINAE. PER. X. LVSTRA. DOCTORI.
S. R. I. NOBILI. ET COMITI. PALATINO. POT-
TENTISSIMO. BORVSSORVM. REGI. A. CON-
SILII. INTIMIS. ET. ARCHIATRO. PRIMARIO.
REGIORVM. EXERCITVVM. PROTO-MEDICO.
COLEGII. MEDICI. SVPREMI. DIRECTORI.
NEC. NON. COLLEGII. MEDICO - CHIRVRGICI.
ATQVE. ACADEMIAE. NATVRAE. CVRIO-
SORVM. ACADEMIAE. REGIAE. SCIENTIA-
RVM. BEROLINENSIS. MEMBRO. HONORARIO.
ACADEMIAE. REGIAE. MEDICA PARISIEN-
SIS. SODALI. COLLEGII. SANITATIS. ET.
INSTITVTI. PAVPERVM. CVRAM.
GERENTIS. ASSESSORI.

P A T R O N O.

E T. M A E C E N A T I. S V O.

AETERNV M. PIE. DEVENERANDO.

HOC. SPECIMEN. ACADEMICVM.

TAMQVAM.

SVMMAE. PIETATIS. ET. OBSERVANTIAE.

MONUMENTVM.

N
cui
mit
secr
con
solu
om
gra
hic
ne,
dit
der
tati
ani
qua
mi

AVCTOR ET AMANVENSIS.

D. D. D.

VIR PERILLVSTRIS,
EXCELLENTISSIME,
EXPERIENTISSIME!


Non multum mihi fuit quaerendum,
cui laborum studiorumque meorum pri-
mitias, tot TIBI annis debitas, con-
secrarem. Quamuis illa, quae in me
contulisti, officia, tanta sint, ut illa per-
soluere haud omnino queam, cum
omnem mihi in dies praeripias spem;
gratum tamen meum erga TE tenuis
hic labor testatur animum. Mirum sa-
ne, quod tantillum opus viro, quem eru-
ditio singularis, egregia in agendo pru-
dentia, sexcentaeque aliae virtutes cer-
tatum commendant, consecrare mihi
animus sit; sed ea fretus benignitate,
qua hucusque me prosecutus es, quamque
mihi forsan non denegabis, studiorum
meorum

SIS

meorum debitas curas TIBI denouere
audeo. In TVAM receptum domum
me proprius intuens, veluti nascentem vi-
disti opellam, quae TIBI iure debebatur.
O me felicem! si illa TIBI non dispi-
ceat: me vero semper huius gratiae
insolubilis memorem existitum, pol-
liceor. Hanc accipe igitur, VIR PER-
ILLVSTRIS, non vt TVORVM erga
me officiorum, remunerationem, quam
beneficiis TVIS assimilare non audeo,
sed vt aeternum mentis gratae me-
morisque monumentum, et integrat
qua TE prosequor.

IMMORTALIS TVI NOMINIS

CVLTOR OBSEQUIOSISSIMVS
GEORG. HENR. BOEHR.



PROOEMIVM.

Quum tot tantaque phaenomena in
machina animali ab hydrophobia depen-
deant, et plura tristissima adhuc ab ea-
dem aucta producantur; periculum hu-
ius morbi miserrimi eruere, et, in quan-
tum augeri id possit, demonstrare, haud
inutile fore arbitror.

Vt illud thema inaugurale eligerem, sequenti accidit modo: munus amanuensis, quo, peracto curriculo academico, per tres annos et ultra, apud Perill. COTHENIVM prospera fortuna functus sum, mihi praebuit occasionem,

A. 4 elabo-

elaborandi cum Perillustri Viro quoddam responsum, quo quaerebatur: *an caro rabiē percit animalis absque periculo vescenda sit, remoto capite et collo?* Ab hoc igitur tempore semper mecum cogitaui, hoc mihi inaugurale sumere thema, idque, accepta venia, publici iuris facere atque, pro virium imbecillitate, pertractare constitui.

An proposito satisficerim? L. B. submitto iudicio, ob limites dissertationis breuitati studere me oportuit. Faxit ergo Numen supremum, ut hi labores votis respondeant meis, et conamina mea primitua felici gaudeant successu.

DE

oddam
arora
veſcen-
cigitur
i, hoc
idque,
atque,
raetare

L. B.
fferta-
opor-
mum,
eis, et
deant:

DE



9

DE

HYDROPHOBIA ET RABIE CANINA.

§. I.

Morborum horrendorum, perterritibilium ac perniciosorum primus atque praecipuus optimo iure est, et habetur ille, qui veneno animalis rabidi arcessitur. Quodsi enim vniuersam morborum cateruam, quibus totum genus animantium affligi solet, consideramus, cumque hoc morbo comparamus, praeter eundem inuenimus nullum, qui adeo aequali impetu armenta cum pecoribus, iumenta, feras, volatiles aliasque bestias pariter ac homines afficit, qui tam innumeros, vehementissimos, explicatu perdifficiles cruciatus secum coniungit; qui vitae, summo mortalium bono, adeo certas pessimasque infidias struit, ut saluti aegrotorum desperare debeamus, simulac malum adoleuerit, dum ei medendi methodus, proh dolor! hucusque incognita pieque desideranda manet. Grauiissimi quidem caeteroquin morbi eiusque contagiosi venenum, vnum aggreditur et deuastat animalium genus, sed reliquis parcit. Sic, lue bouilla acutissima grasiante, homines,

A 5

equi,



equi, oves, rel. sanitate integerrima fruuntur; saeuiente peste humana, bestiae bene se habent; quibus perniciosissimum, v. c variolarum venenum intacta relinquit alia pecora et armenta. At venenosum contagium in rabie percito animali natum omnibus animalibus est inimicissimum, et aequa fere vi calamitatem vulgat, nullo bestiarum genere, nec viro homine excepto, qualisque sit aetatis, sexus, corporis habitus et temperamenti. Dantur quidem complures affectiones morbosae delirio, furore aliquaque malis vehementibus ac terribilibus concomitatae, sed nullam obseruamus, nisi hanc, quae vt plurimum cum insania et furore, anxietate incredibili, caeterisque infestis acerbissimis cruciatibus coniungat proprium sibi horrendum symptoma, quo aegroti potulenta nulla ratione deglutiire non solum non possunt, siti intensissima vehementer vexati, sed aquae et fluidorum ferme omnium ingentissimo metu macerantur. Quem quoque ita consuetum comitem secum fert morbus, vt nomen inde *hydrophobia* a Graecis acceperit.

§. II.

Veneni morbiſici exitioſa vis, in aetum dura, perturbat corporis animaeque functiones actionesque mirum in modum. Aegrotorum, hydrophobia laborantium, plurimis haec fere

com:

comm
serua
San
fus b
que
conse
uitat
ris,
perte
corp
mod
studi
tium
gradu
dicto
angu
xieta

a) Ap
b) Sig
ign
par
adu
mor
tem
aut
rac
obf
An
m c
ind
pot
qua
Hu



fruun-
e bene
, v. c
uit alia
conta-
omni-
aequa-
tiarum
qualis-
habitu-
mplu-
realiis-
s con-
, niss
et fu-
ue in-
nt pro-
o ae-
e non
vehe-
n fer-
autun-
m se-
opho-

n du-
ones
orum,
e fero-
com:

communia sunt symptomata, quae ex ob-
servationibus collegit BOERHAAVE a).
Sanissimus antea ab animali rabioso demor-
sus homo primum in vulnerato loco eius-
que vicinia sentit dolores b), vulnus iam
consolidatum incumescit, accedit sensus gra-
uitatis et insolitae iassitudinis totius corporis,
sōmnus turbatus, ex quo aeger saepē
perterritus, non raro tunc concutitur toto
corpo, inquietudo animi, tristitia, nullo
modo exhilaranda, alta suspiria, solitudinis
studium. Atque haec primum morbi ini-
tium manifestant, seu, uti vocant, primum
gradum. In secundo gradu, incremento
disto, accedit ingens praecordia premens
angustia, alta et praepedita respiratio, an-
xietas, febrilis horror, prostratus appeti-
tus

- a) Aphorism, de cognosc. et curand. morb. fact. 1138.
b) Signum mox se prodituri morbi omnibus antea
ignotum PET. SALIVS DIVERSVS de affectione
particuli cap. 19. olim praecipuum et infallibile anima-
duerit, dolorem videlicet quemadmodum in loco iam com-
morso et sanato obvrum, qui inde incipiens per par-
tem post partem breui ad cerebrum, vt ipse adnotauit,
aut certe sursum, puta a manu axillam versus et tho-
racem, vt ZWINGERVS E. N. C. Dec. 3. An. 2.
obseru. 104. in schol. et SCARAMVCCIVS ibid.
Ann. 9. et 10. in append. n. 6. se extendit — conf.
MORGAGNI de sedib. et caus. morb. per anatoma
indagatis Epist. VIII. no. 21. T. I. pag. 119. Cum
posterioribus conuenit obseruatio clar. NVGENT,
quam refert LAYARD Versuch über den tollen
Hundsbiss, a. d. Engl. p. 115 seq.



tus, solidorum deglutitio difficilis, potulitorum, quae poscere sitis cogit, longe difficilior ingurgitatio, ac tandem plane impedita ita, ut potum haurire conantem immanis anxietas cum suffocationis periculo prehendat, auersatio fluidorum, ac tandem metus aquae et potus omnis generis sensim austus tantam nanciscitur vehementiam, ut in conuulsiones, tremores, insaniam et furorem immanem aspectus fluidorum, eorum ad labia et os appropinquatio, quin nomen eorum auditum coniiciat miserum. Adsum in hoc stadio adhuc vomitus biliosi glutinosi, aestus praecedente frigore, febris, vigiliae pertinaces, delirium, priapismus *c.* Horrendus postremus et tertius gradus morbi vitae finem facit. In hoc lingua sica aspera prominet, os hiatus, vox rauca sit, sitis torqueat immanis, conatum bibendi sequitur summa anxietas, suffocatio et insania, spuma scatet os, quam deglutire quum nequeant, in adstantes exspuere aegri inuiti coguntur *d.*, mordendi quaque obvia desiderium ineuitabile *e.*, non vero spontaneum;

c) CAEL. AVRELIAN. acut. morb. L. III. C. IX.
Cf. L.B. VAN SWIETEN comment. T. III. p. 556.
Recueil periodique T. IV. no. 366. BONETI se-
pulchr. anatomi. T. I. p. 216. Vid. infra §. V.
VAUGHANI obseruat.

d) V. SWIETEN l. cit. p. 557.

e) De absentia huius symptomatis vid. DESAVVIT
diff.

taneum; pulsus tandem et respiratio deficiunt, sudor promanat gelidus, rabies atrox per interalla redit; postremo inter diras conuulsiones sub summa respirandi difficultate et pectoris suffocante angustia mors miserabilem terminat vitam.

§. III.

Quae vero omnia et singula non ita constant, vt semper in quolibet hydrophobo obseruari debeant. Potius in hoc, vt et in alio quoquis morborum genere, mira symptomatum varietas, quoad eorum praefariantiam et defecitum, aut vehementiam et lenitatem animaduerti solet. Ac ne illud quidem ipsum, a quo morbus nomen acquisivit, symptoma, quod morbi proprium et essentiale signum censetur, liquidorum nempe metum semper cum malo, a mortuus canis rabiosi excitato, coniunctum esse, obseruarunt viri maxima auctoritatis. Meminit FABRICIVS HILDANVS de rabie post eiusmodi mortuum periodica, quae absque aquae formidine per temporis interalla rediit a). Trium exemplorum narrationem ex ore amici accepit M E A D, in quibus

diff. sur la rage, p. 322. TULPII obseruat. medic. L I. cap. 20. Quibus addo, inquit, quod equidem neminem bacillus vel audiuerim larrare, vel vide vim mordere. Vid. infra §. V.

a) Obseruat. chirurgic. Cent. I. post obseruat. 86.



quibus reliqua rabiei signa sine aquae metu morbum constituerunt *b*), quod in hominibus et canibus se vidisse contendit *LA-MES c*). Nec deesse, afferit **MORGAGNI**, qui vinum bibant *d*), qui in balneum ire iussi continuo illuc ire incipiunt vel morbo iam proiecto *e*), qui aquam prima deglutitionis difficultate superata, haud valde difficulter potent *f*). Nec primis morbi temporibus aquam verentur aegroti, potius sicuties possunt potum et mirantur, quae sit causa, qua hauriendi et potandi facultatem impediti sentiant, atque qua sub bibendi tentamine gula ita constringatur, ut perniciose suffocatione certo certius strangularentur, simulac maiori vi adhibita potum iniurgirent *g*). Posterius hoc a prioribus distinguatur oportet, quod nimirum confirmat, ab aquae metu non initium capere morbum, et hunc praecedere aquam deglutiendi morbosum impedimentum. Priores vero observationes quum rarissime occurrunt, illis haud

b) On poisons, pag. 112.

c) Tract. de rabie canina, pag. 2. Canum unus labebat lac, alter aquam tranabat. Conf. Comment. de reb. in scient. natur. et medic. gest. Vol. XI, part. III, pag. 480.

d) loc. cit. no. 29.

e) Ibidem no. 23. idem obseruavit **VAVGHAN** infra §. V. citat.

f) Ibidem no. 27.

g) **MEAD** tract. citat.

meu
hom
it 1A
G N I
re iuss
n pro
s diffi
er po
ribus
lientes
causa,
impe
tentia
iciofa
entur
rgita
distin
rmat,
bum,
mor
o ob
illis
haud

s lam
ment,
part,
v - in
haud
contradicunt, quas plerumque acci-
dere monuimus. Eadem porro, licet ve-
hementem timorem non confirmant, aquae
tamen quaedam auersationis atque potandi
difficultatis testimonia preebent, quae suffi-
cient ad morbum cognoscendum, qui non
summum vehementiae gradum attingit. Ex
quibus etiam vccunque rarissimis exemplis
experimur, ob timoris aquae absentiam ra-
biei caninae praesentiam negari non debere,
simulac alii cruciatu, morbum adesse, do-
cent. Atque licet ipse ill. L. B. v. SWI-
TE N aquae metu inseparabilem a rabie
canina esse, docuerit *h*), atque negauerit,
sine illo hanc dari, ille tamen summus vir
clar. SAVVAGESII obseruationem adfert
de aegroti hydrophobo, qui aquae aspectum,
taetumque nullo modo ferre poterat, et
nihilominus iusculum, licet cum molestia,
deglutiverat *i*). Cauendum ergo est, ne
ob defectum aquae metu vehementioris ra-
biei caninae praesentia negetur, quamvis
fere semper haec cum illo sit coniuncta.

§. IV.

Quamquam saepius accedit delirium, at-
que aegroti ex aquae metu in summam ra-
biem, ferociamque efferantur; morbum ta-
men non semper et necessario aegrotos de-
mente

b) Commentar. Tom. III. pag. 553.

i) Ibidem p. 555.



mente turbare, confirmatur animaduersiōnibus. Retulerunt enim, miseros sana mente aquam horruisse, **SALIVS** *a*), **CAESALPINVS** *b*), **CODRONCHIVS** *c*), ab **AROMATARIIS** *d*), **ZWINGERVS** *e*), **RHO-DIVS** *f*), **MORGAGNI** *g*), qui etiam monet, delirium non esse, quod sitientes aquam horreat, aquam aliqui non horrent, inquit, *ad se potulenta afferri iubent, et bibere conantur, non tamen sine magna ratione non bibunt plerique omnes.* Conati enim vel minimam humoris portionem sensim deglutire, non leui cum incommodo et dolore id fecerunt, ut puer, referente **MEAD**, aut, cum plus bibissent, hinc aut oboris vehementissimis convulsionibus, aut suffocatione ingruente mortui sunt, ut testatur **AVICENNA** *h*). E contrario autem tanta nonnunquam ferocia mīseri furunt, quanta illi, quibus mania mentis vsum peruertit. Atque tunc vires mortuorum ad prodigium magnae sunt. Vide **MEAD** virum in lecto fortibus deligitum funibus rumpere omnes uno nīsu *i*,

et

- a)* libr. citat. cap. 19.
- b)* Art. medic. Lib. III. cap. 34.
- c)* de rabie L. I. C. I.
- d)* differt, de rabie, P. II. partie, I.
- e)* E. N. C. Dec. III. Ann. 2. obs. 2.
- f)* Obseruat. medic. Cent. I. obs. 46.
- g)* Epist. citat. no. 22, 23. Tom. I. pag. 119 sq.
- h)* ibid. no. 29.
- i)* cit. tent. 2.



et L. B. v. SWIETEN adolescentem ita furentem, vt a quatuor viris coerceri non posset *k*), legiturque de pueri quinquenni, cuius furori coercendo nē fortior quidem vis par erat *l*). Vidit etiam furiosam XVI. annorum puellam Vir perillustris aeternum-que colendus D. COTHENIVS, quam quatuor a fortioribus viris robustissimis, pressis tenere manibus non valerent *m*).

§. V.

Quod ad reliqua §. II. recensita symptomata attinet, ea longe magis adhuc in hydrophobis modo deprehenduntur, modo defunt. Male itaque ad propria symptomata retulit SENNERTVS lucis fugam, singultum, conuulsiones, faciei ruborem, copiosum sudorem, canum more latrationem, oculos toruos, quibus aegri omnia circumspiciantia). Tantus aquae metus quibusdam saltim impressus est, vt ea corpora, quae claritate et pelluciditate aquae se aequant, vti vitrum, metum nouum et horrorem excitent. Sic luminis aspectus, aerisque leuissima ventilatio hoc praestiterunt *b*), ille visum, haec tactum aquae fere

B

analogia

k) I. cit. ad aphor. 1137.

l) E. N. C. Cent. VII. obs. 54.

m) Ex ipsissimis narrationibus suis.

a) Instit. medic. L. VII. part. III. Sect. 2. C. 4.p. 427.

b) MORGAGNI ep. cit. no. 28. Recueil periodique

que



analogia ratione affiendo. Conuulsiones breui ante mortem aegrotum prehendere solent, quo etiam sudor gelidus proficit, (§. II.) cumque conuulsionibus et anxietate singultus saepe tunc torquet; sed dantur exempla sine conuulsionibus mortuorum, quia absque agonia, dum morbus incipiens post molestos dolores veram paralyсин fecerat in brachio demorso *c*). Scriperunt cum SENNERTO bene multi auctores, hydrophobos imitari canis latratum, sed rem non attente satis et curate pensarunt. Quum oris interna valde siccentur, et quum respiratio admodum difficilis sit et celeris, admodum rauca ac interrupta voce loquunt aegroti, canum itaque instar latrare videntur *d*), verba autem, nec sonum solum edunt. Nonnunquam accedunt nausea, vomitus, cibi inappetentia, intumescientia ventriculi inprimis ad allatum potum *e*), quae conuulsui motus vi facta esse videntur. Nonnunquam plane haec symptomata desunt, bene comedunt aegroti, nec primae viae morbo laborant. Haecce a causa bilios, in ventriculo et intestinis stagnante acri bile,

ceu
que T. VII. p. 81. ASTRV C diff. de hydrophob.
p. II. 13, Act. acad. Mogunt. T. I. pag. 341 seq.
ZWINGER. loc. citar.

c) Philos. Transact. abridg Tom. III. pag. 281. Cf
v. SWIETEN Tom. III. p. 558.

d) *v. SWIETEN* I. c. p. 557.

e) JAMES tract. cit.

ceu
ptor
tum
pism
obse
vltin
mam
lunta
gitur
cursu
et L
serua
actio
tarun
inter
fione
licet
nulla
morb
dum,
tation
ricaе
scicor
action
plene

f) Re
g) b. o.
b) Phi
i) Ibid
k) Acu
l) Adf
duo

lliones
endere
rofluit,
xietate
dantur
orum,
cipiens
n fecer-
nt cum
hydro-
m non
Quum
respir-
s, ad-
uantut
viden-
solum
ea, vo-
a ven-
que
Non
desun-
e vies
biliosa-
ri bila-
ceu
rophob.
41 seq.
81. C.
f) Rerum Mexican. med. thesaur. p. 493.
g) BONETI I. c. T. I. pag. 216.
h) Philos. transact. T. V. p. 369.
i) Ibid. Tom. III. pag. 278.
k) Acut. morb. L. III. Cap. XI. p. 220.
l) Adfuit in uno aegroto veretri tensio, defuit in
duobus — ex obseru. VAVGHAN.

B 2

ill



ill. IAMES *m*). Posterioris praesentiam) et defectum *o*) obseruatores annotarunt, imo SALIVS existimat *p*), rabientes ratione proprii virus non febricitare, si autem aliquando febricitent, ex corporis prae-
via indispositione fieri. In longe contraria sententiam alii abierunt, qui febrem morbo ita essentiale esse docent, ut morbum ipsum ad febrem *q*) bilioso putridam *r*) referant: qua de re adhuc infra di-
sputandi occasio erit. Vrinam tenuem, frigus manuum, spasmus et dolores ventris contenta versus septum transuersum cogentes, cum suffocationis metu, conatum vo-
mendi, parcamque electionem materiae pi-
tuitosae pellucidae vidit RUTHERFORDⁱ⁾,
Cel.

m) Tract. citat.

n) SAVVAGES sur la rage, pag. 12. in Not. LAYARD 1. cit.

o) Ibidem p. 37. Misc. N. C. Dec. 3. Ann. 9. 10. suppl. p. 254.

p) De febre pestilent. pag. 558. Quandoque, inquit SENNERTVS, et febris accidit; sed et hoc ratio, et si quando id evenit, id potius apparuit humorum et praeuias corporis dispositioni, quam veneni naturae tribuendum, in Med. Pract. Lib. VI. P. VIII. Cap. 31. p. 1069.

q) SELIG Dissert. de hydrophobia caet. conf. L. CRELLII Ausz. HALL. Streitschr. Tom. I. p. 565. not. *).

r) LAYARD tract. citat.

s) Conf. BRVCE Dissert. de hydrophobia, contenta in HALLERI Diff. select. Tom. I.



Cel. tandem MEAD symptomatibus confuetis adnumerat nimiam irritabilitatem nervorum, qua obiectorum impreßiones in sensus aegre ferunt miseri, eorumque pulmones inspiratus aer frigidus male afficiat; molestias viarum vrinariarum sub mistu, atque bibendi difficultatem ¹⁾). Ad virum ae. grotantem vocatus, cuius morbi genus nemmo medicorum praesentium augurari vel definire poterat, qui mox febri mox atrocissimis laborabat deliriis, aspectu autem furibundo, ex gesticulationibus aegroti, cum mox in sellam, mox in scamna et in mensam saliret, et de siti conqueretur, potare autem nollet, secum animo voluebat perillustris CO THENIVS, anne a cane rabido morsus fuisset aeger? vitrum aqua repleri iubet, ex cuius strepitu, quum quietus in sella sedisset, statim inquietus redditus ad multas volutationes corporis cogebatur, et vitro hoc, aqua repleto, propius ad moto, inquietudo augebatur, et ex una sella et scamno in aliud transiliebat. Ex adstantibus nemini notum erat, canem rabidum in vrbe iuisse, et quemquam momordisse. Unus tamen illorum, se meminisse, pronunciabat, illi aegroto ante sex menses caniculum obuiam iuisse, quorum iocari olim sueuerat, illumque, cum alicere eum studuisset manum porrigendo,

B 3

gendo,

1) Tract. citat.



gendo, statim vulnus digito auriculari infixisse. Aegrotus noster nihil malum ex eo prouenturum sibi persuadebat, vulnus neglexerat et, omnibus incassum adhibitis, placide tamen periret, postquam degutiendi pharmaci impotens fuerat. Ideoque perill. **COTHENIUS** consuluerat, caput glacie tegi, ex quo delirium quidem mitigatum, et aeger placidius, ac id fieri solet, inter viuos esse desit. Diligentissime tres hydrophobos obseruauit, tociusque morbi decursum curatissime narrauit ill. **VAGHANU**). Eorum omnes in loco laeso, primum senserunt dolorem, duo post mensem, vnu post nouem mentes a vulnera accepto inde. Vni gena laeva demorata erat, ad quod vulnus post mensem dolor, tempora premens, accessit, duobus vulnera sanguinis fatis fundentia, digitis manuum erant inflicta. His sensus doloris per brachium ascendebat, horumque vni ad tempora lateris afflitti usque. Quo praegresso fluida auersari incipiebant, de dolore vrente infra cartilaginem xiphoideam querebantur, ad collum se extendente, qui spasticos cruciatus praecedit bat, eosque atrociores reddiebat. Statim ab initio plerisque aspectus peculiaris ex furore et timore mixtus, tamen terribilis.

a) VAGHAN cafes and obseru. on the hydrophobia, conf. Samlung auserlesener Abhandlungen für Aerzte, V. Band, pag. 3. seq.



lis et pupillarum dilatatio communis erat.
Aqua visa, aura frigidior, siccus corporis horizontalis resupinatus, linteaminum madidorum ad collum applicatio, fluida ori indita paroxysmum conuulsuum, cum risu fardonico, spalmo cynico, anxietate suffocatiua, suspiris incitabant. Solida difficulter deglutiebantur. Manducabant quidem, sed sedulo evitantes, ne masticatum intret fauces, quod paroxysmus nouus sequi solebat. Si vero bolum deglutire volebant, dito, ori immisso, illum, quam longissime pererant, protrudebant in gulam ipsam. Quo facto, is per oesophagum, haud difficulter descendebat in ventriculum. Mens omnibus manebat sana, et vaniloquia ipsa admonitionibus poterant compesci. Febris nulla, pulsus ab initio tardus, irregularis, in fine celerrimus, debilis et intermittens, sitis non omnibus, sed omnibus saliuae spumofae in ore collectio, quam exspuebant copiose. Neque sputo nec morbu adstantes inuadebant. Iuerunt in balneum, non tamen sine timore et auersatione. Concubiebatur tunc corpus, et quoties pars eius nondum submersa aquam attingebat, toties iterum renouabatur concussum, qui tandem, in balneo permanente aegroto, quietebant. Nihilo fecius tamen hydrophobia pergebat ad mortem usque vim suam exercere, quae, viribus vitalibus plane sublati, et incremente

B 4.

paro-

iculari
mali
, vul-
dhibi-
deglu-
eoque
caput
miti-
folen
e tres
morbi
AVG:
, pri-
men-
alnere
ā erat;
tempora
quinis
fista,
debas,
ti vs-
inci-
ilagi-
lum
prae-
Sta-
liaris
tribi-
lis
opho-
n für



paroxysmorum furore intra quatuor dierum
spatium insequebatur. Vnus aegrotorum
saltim priapismo torquebatur.

§. VI.

Manifestare se confueuit hydrophobia
breui ante pleni vel novilunium testantibus
MEAD *a*), NVGENT *b*), HELE *c*), LA-
YARD *d*). Interdum continuat eodem fer-
uore grauissimo ad necem vsque, plerum-
que, per periodos remittens breues, recur-
rit, conceditque interualla sic dicta lucida,
in quibus ad se redeunt aegroti, saepiusque,
quae passi sint in praegresso paroxysmo, re-
cordantur. Instantem nouum insultum de-
signat praecedens faciei rubor, sensim in-
crescens oculorum immobilitas, et aspe-
ctus sensim furibundus, distorsiones foedae
musculorum faciei *e*). Saepe hunc recur-
sum praesentium miseri et adstantes, vt sibi
caueant, monent. Rarius evenit, vt inter-
posito longiori temporis, non dierum, sed
hebdomadum, intervallo rabies, quiescere
hucusque visa, inopinato redintegretur, cu-
ius exemplum narrat HELE. A rabido ani-
mali

a) Tract. citat. p. 152 seq.

b) Referente LAYARD tract. citat. p. 114.

c) Ibid. p. 105.

d) Ibid. pag. 132.

e) v. SWIETEN I. c. Tom. III. pag. 558. Mercure
de France 1761. Juill. pag. 136.



mali demorsa foemina quinques rabiei insultum passa est, qui semper die ante plenilunium recruduit, propulso sudore copiosissimo terminatus, tandem feliciter sanatus. Tempore a rabie vacuo, secunda valerudine vfa est f) aegrota. Lento gradu non semper morbus incrementum capit, ac interdum celerrime necem infert, quod intra XXXVI horas factum esse, legimus g). Quo etiam respectu constantem legem morbi non cernimus. Atque in tota hac calamitate nihil magis perpetuum est, nisi vitae periculum ita, ut manifestante se hydrophobia rarissime salus speranda sit, teste omnis aevi experientia.

§. VII.

Generi autem canino hic morbus ex iudicio et experientia rei naturalis et medicae scriptorum proprius censetur, et ab hoc cum aliis communicatur. Canem solum rabidum fieri, et reliqua animantia inficere, docuit GALENUS a), nec recentiores dissentunt b). Rabiosis animalibus hisce communis est, alia obuenientia corpora et animalia

B 5

mor-

f) LAYARD I. cit. p. 105 sqq. alia huius auctoris obseruatio primi rabiei gradus periodice recurrentis, vid. ibid. p. 132.

g) SCHMIDKERS *Wahrnehmungen*, Tom. II.

a) Lib. VI. de locor. adfector. natura.

b) SAVVAGES *Dissert. sur la nature et la cause de la rage*, Toulouse 1750.



mordendi cupido, nec vnum alteri, nec canis hero, nec semper homo homini, ne amantissimo quidem parcit *c).* Venenum rabiei, quod materialem morbi causam exhibet, a qualicunque animali homineque suscipitur, morbumque tristissimum procreat *d).* Canes itaque, lupi, vulpes, nisi quum ad caninum genus pertineant, idiopathice morbo laborant, equi, asini, muli, boues, sues, simiae, galli hoc modo rabiosi et hydrophobici facti sunt, suisque morsibus idem infortunium aliis contraxerunt. Praecipue medici illos casus annotarunt, in quibus humanum genus ex hoc morbo grauiter afflitum est, praevio morfu. Canes, animalium vbique locorum frequentissimum et commendatissimum genus, rabidi quotannis terribilem morbum inter homines distribuunt, maximaque detrimenta illis adferunt. Sane vel vnum rabiosus canis humanae societati plus infest damni, quam totum genus caninum commodi et utilitatis illi adferre potest. Ingens est multitudo exemplorum calamitatis per canes allatae incredibilis, magnae, nec regio ciuitasque vlla ea caret. In iis praesertim regionibus, vbi densitas et infinita magnitudo syluarum extirpationi luporum obstat,

c) SALMVTH obseru. med. Cent. I. obs. 96. LAYARD I. cit. pag. 61.

d) BOERHAAVE aphorism. II 32.



stat, non solum ab eorum rapacitate, sed etiam ab iisdem, dum hydrophobia laborant, summam iacturam et damnum experiuntur incolae. Cuius rei plura documenta exstant e). Atque hinc morbo *lupinae insaniae* nomen imponere nonnulli auctores commoti sunt f). De vulpis rabiosae morbu refert R O G E L. H O W M A N N, funestam inde fecutam esse hydrophobiam cum paralysi muscularum capitisi g). Quum experientia satis superque demonstrauerit, hydrophobiae inter homines et animalia erumpentis nullam aliam originem dari ut plurimum, praeter eam ex contagio venenofo cum saliuia canis, lupi, aut vulpis rabiosi mordentis corpori injecto, ex hac etiam causa *rabies canina* eadem vocatur. Interim autem certissimum est, ex eiusmodi morbu aegrotans animal, et hominem etiam, cum qualicunque animanti, applicata saliuia, idem malum communicare, semperque verendum esse, ne ab iisdem communicetur idem malum, simulac vulneri illato saliuia rabiosi iniungeretur. Felis rabidi morsus faepe

e) I. BAVHIN denkvründ Historie von eti. wützenden Wölfen cer. Mümpelgard 1591. ASTRV C de hydrophob. Monspel. 1719. PETRI BORELIUS histor. et obseruat. Cent. I, obs. 75. PALMARVS de morb. contag.

f) ALEX. MASSARIA in pract. med. Libr. I. cap. 33.

g) Philos. transact. n. 169.

¶

saepe rabiem induxit *h*) sic quoque simiae*i*)
ipsiusque hominis *k*) morsus.

§. VIII.

Atque ex his iam patet, contra C E L
S I effatum *a*) mediante saliu contagiosam
materiam liquidis et sanguini admisceri, ner-
uisque applicari, et sic accendere periculo-
sam perturbationem. At eandem porro de-
leteriam vim exercere saliuam, quamvis
non immediate, facto vulnere, humores
adeat, nec mitius agere, postquam excis-
cata ante applicationem est *b*), nec aetatem
ei adimere venenum, obseruationes confir-
mant. Legimus exemplum saeuissimae hy-
drophobiae a saliu in nudam cutem deci-
dente *c*) sola inspiratione spiritus aegroti
rabiem

b) ANT. de HEYDE obseruat. STALPART V. D.
WYL obseruat. MORGAGNI, si canes excipias,
inquit, non saepius ab aliis animantibus, quam a
felibus, infurter, epistola LXI. no. 15.

i) NIC. BEGNY Zodiacus caet. an. 1679. mens.
August. obs. 12. pag. 132.

k) Act. Erud. Lips. an. 1727. suppl. III. p. 107.

a) De re medica Lib. V. cap. 27.

b) CAEL. AVRELIAN I. c. lib. III. cap. 9. p. 218.
FABR. HILDANVS obs. chir. Cent. I. obs. 86.
pag. 67. Morandus Morandi della cura praeserva-
tiva della rabbia canina, Ancona 1755.

c) E. N. C. Dec. I. an. 6. et 7. obs. 142. p. 204. ex
linceu canis rabidi CALLISEN vid. soc. med.
Hafn. Collect. Vol. I.

rabiem communicari *d*), et eandem ex per-
trastatione rerum per saliuam infectarum
ortam esse *e*). Puerum, qui abstergens gla-
dium rubiginosum, quo ante plures annos
rabiosus canis confossum fuerat, mala for-
tuna digito suo vulnera inflicto, hydro-
phobum periisse, SCHENKIVS narrat *f*).
De sartrice scribit AVRELIANVS, eam
lambendo humectasse suturas chlamydis
morsibus rabidis scissae, indeque hydropho-
bia fuisse correptam *g*). Similem effectum
tristem matrona experta est, postquam sim-
pliciter filum, per vestes saliuia canis rabidi
infectas adactum, mordendo abruperat *h*).
Sola contrectatione et immissione manus in
os animalis rabidi hydrophobia nata est *i*).
Neque osculis in lucido interuallo datis
fidendum est. Rusticus enim rabiosus, breui
se moriturum sentiens, rogauit, ut sibi li-
ceret, liberos suos osculari, qui autem, hoc
facto,

d) Recueil periodique, Tom. VII. p. 413. Journal de Medec. Tom. VIII. p. 316. conf. Comment. Lips. Tom. VIII. p. 463.

e) ZAC. LVSIT. de prax. med. admir. L. III. obs. 57. p. 116.

f) Obseruat. med. Lib. VIII. p. 852. REIES elys. iucund, quaest. camp. quaest. 61.

g) I. c. pag. 214.

h) FABR. HILDAN. I. c. p. 169.

i) MARC. DONATVS de med. histor. p. 589. Phi-
los. Transact. T. V. p. 566.



facto, septimo die perierant hydrophobi *k*). Nuces, quas rabidi canis sалиua vitiauerat, gallinis fuerunt funestae *l*). Praetermittimus plura alia exempla, eandem rem comprehendantia.

§. XI.

Neutquam vero cum sалиua duntaxat venenosum contagium intimo connubio combinatur, ut ei foli, alias inficiendi, potestas data sit. Nam alii, praeter hunc, humores rabiosorum inquilini etiam transtulerunt morbum, vnde eorum corruptio et venenosa vis satis intelligitur. Nimirum de uoratio sanguinis missi ex uena furiosi in rabiem coniecit canem *a*), ab esu lactis hydrophobae vaccae idem obseruatum est *b*), licet in aliis exemplis tam lacte, quam buttero, ex eo confecto, innocue uis sint homines per integrum mensem *c*). Carne porro hoc morbo agrotantis animalis sine hydrophobiae periculo non esse vescendum FERNELII tristes obseruationes demon- strant

k) PALMARVS I. c. Lib. VI. pag. 266. FORESTVS IO. obf. p. 27. Ex osculatione canis rabidi Act. Erud. Lips. an. 1699, mens. Febr. p. 79.

l) FRANC. de ROMANIS obseruat. medico - chirurg.

a) LEMERY in hist. de Acad. 1707. hist. 30. p. 31.

b) TIM. a GULDENKLEE cas. med. Libr. VII. cap. 23. p. 377.

c) Recueil periodique, T. I. p. 167.

frant d), a carne saeuioris lupi, varia ratione in cibum adhibita, hydrophobiam excitatam esse, refert SCHENKIVS e). Sed hoc loco quoddam adbuc momentum considerabimus. Primum nempe hydrophobia eruptuae signum cum SABIO (§. II. not. b.) multi a dolore in parte vulnerata desumunt. Quod vero, licet iis hydrophobia a morsu exortae exemplis competit, commune et tale signum non esse potest, quale deberet, si ex eius defectu negari rabi ei apparentis praesentia posset. Atque, vbi nulla praecessit vulneratio venenata, eiusmodi dolor non est exspectandus, puta in casibus, de quibus in hac et praegrediente §. egimus. HELET obseruatio hoc comprobatur. Virgo nimirum, ante quinque menses a cane rabioso demorsa in digito, inopinato frigore et syncope afficiebatur, posthaec ad se rediens, nauseam, vomendi conatum et dolores cardialgicos sentiebat; altero die erat illa debilis valde, inquieta, pulsus celer et debilis, aestus febrilis accedebat, aegra querebatur de pectoris angustia, subsiliebant tendines, tertio die hydrophobia se manifestabat, nullo praevio digiti vel brachii dolore. Sed, quod maxime attendendum est, virgo sanguinem ex vulnere recenti promanantem labiis ad-

motis

d) De morb. contag. cap. 14. p. 509.

e) Obs. Lib. VII. obs. 9.

obi k,
uerat,
mitti-
com-

taxat
publio
, po-
, hu-
nschu-
io et
in de-
in ra-
s hy-
st b),
i bu-
t ho-
Carne
sine
dum,
non-
trant
STVS
i Act.
- chi-

p. 31.
VII.



motis incaute sugebat, ita profecto, vt in demorso digito vulneraque nullum venenum vestigium remanserit, et citra dolorem venenum vim suum edere potuerit f).

§. X.

Grauis huius morbi quidem origo a causa venenata externa (§§. anteced.) vt plurimum deducitur iure, non tamen negandum est, sine ea existere posse hydrophobiam. Rarissima eius annotarunt exempla fide dignissimi autores, ex quibus constat, siue omni plane contagii suspicione eam nasci in hominibus posse. Quum virgo digladiationem quorundam videret, valido terrore percussa in aquae metum funestum incidit a). Foemina alia ex terrore, dum a sociis in peregrino loco iter faciens se defertam cerneret, idem infortunium habuit b). Iquenis ira valde excandescens, proprium demordebat digitum, vnde intra XXIV. horas hydrophobus furiosus periit c). Ingentem indignationem secutam esse graue malum

f) LAYARD I. c. p. 104 seq.

a) MARC. DONAT. I. cit. p. 599.

b) Anecdotes de medec. 1762. p. 32.

c) Cit. ex SCARAMUCCHIO. vid. V. SWIETEN I. c. puerpera ex ira in hydrophobiam delapsa. Recueil periodiq. Tom. III. alia exempla tantum effectus irae, vid. in BLOCH medicin. Bemerk. p. 138. Act. Erud. Lips. 1706. Octobr. pag. 456. et 1707. April, pag. 107.

malum
tomi
supp
tione
cho
stilli
poste
aestu
ceph
crani
leue
esum

d) E.
e) ibi
pag.
f) Re
g) ibi
prae
h) Foc
dro
i) E.
j) ibi
cho
LE
L. V
l) E.
T. X
m) Cu
heb
III.
n) Jou
o) Rec
p) Acc
T. I



vt in
veneni
m ve.

riga a
.) vi
en ne
ydro-
exem-
con-
cione
virgo
alido
estum
dum
se de-
nit b).
orium
J. ho-
In-
grau-
alum

I. c.
ecueil
irae,
Erud.
April

malum hoc, legitur *d*). Peracta herniotomia *e*), a multo labore et transpiratione suppressa *f*), ab ardore solis sub peregrinatione *g*), cum grauiditate *h*), praegresso cholerae morbo *i*), a melancholia *k*), a pastillis calidis nimis calide ingestis, bibita postea aqua glaciali *l*), a potu frigido, ex-aestuante corpore, hausto *m*), ab habituali cephalalgia *n*), a lapsu et forti commotione crani *o*), a contusione simplici cranii, quae leue tantum tuberculum creavit *p*), post esum copiosarum nucum fagearum tosta-

C rum

- d*) E. N. C. Dec. III. an. IX. et X. app. p. 249.
e) ibid. Dec. II. an. II. obf. 169. pag. 234. et schol. pag. 237.
f) Recueil period. Tom. VII. p. 81.
g) ibid. p. 3. SANCHEZ oper. lib. de obseruat. in prax. p. 279.
h) Foemina vndeclies grauida in primis mensibus hydrophobia. Comment. Lipf. Tom. XII. p. 652.
i) E. N. C. Cent. IX. obf. 77. p. 171.
j) ibid. Dec. II. an VI. obf. 220. pag. 435. Melancholiam in aquae metum transgressi, testantur GALENVS de theor. ad PIS. L. I. cap. 16. AETIVS L. VI. c. 24. et CELSVS Lib. V. cap. 27.
k) E. N. C. Cent. III. obf. 50. p. III. Act. Heluer. T. XVII.
l) Cuius rei tria extant exempla Commerc. litter. hebd. 5. n. 2. 1740. hebd. 36. n. 1. E. N. C. Cent. III. obf. 50.
m) Jour. de medec. Tom. XIV. p. 316.
n) Recueil period. T. VI. p. 139.
p) Accedit fames canina; exitus funestus A. N. C. T. II. obf. 205.



rum *q*), a spiritu frumenti copiose iniurigato *r*), hydrophobiam sponte natam esse, traditum est. Dolorem colli et brachii in uno exemplo, in altero dolorem sine febre insequebatur aquae metus *s*). Post phrenitidem *t*), post inflammationem et suppurationem cordis *u*), post vesicae inflammationem *v*) idem apparuit. Sine causa manifesta aquam perterrituisse iuuenem, funetto cum euentu **DONATVS** refert^w), et quendam, qui canem dissecuit, quem putabant rabidum fuisse, imaginario aquae metu corruptum vidit **PETIOT X**).

§. XI.

Sponte itaque generari, et ab aliis morbis praegressis relinqu aquae metum, ex his intelligimus. At eundem etiam alii cum malis sese confociare, docemur. Sic in progressu febris malignae potator frenuus sitiens dirissime potum quidem audifissime petiit, poculo tamen ori admoto,

CON-

- q)* Fränkisch. Samml. Tom. VII. p. 44. SELIG dissent de hydrophobia.
- r)* Ex Mem. de l'acad. R. de chirurg. T. III. in Sammlung für pract. Aerzte, T. II. p. 2. pag. 64 sq.
- s)* MARC. DONATVS I. cit. pag. 599 sq.
- t)* RAYMOND in Lond. med. inquir. T. V.
- u)* Recueil period. Tom. III. teste TRECOVRT.
- v)* ibid. obseruat. BAYARD.
- w)* MARC. DONAT. I. c. p. 601.
- x)* in quaest. medic. XII.



contremiscere incepit tote corpore a). In febrem malignam, diris deliriis stipatam, incidit senex, qui in ipso hoc morbo potum horruit. Febris et hydrophobia symptomatica feliciter sunt deuictae b). Febre pestilenti, dein dysenteria laborans mulier mente sana adeo liquida formidauit, vt ne aliorum quidem bibentium aspectum sustineret c). Corripuit hydrophobia iuuenem inflammatione ventriculi, et pueram violenta febre cum angina laborantes d). In febre ardentissima a nimia corporis exaestuatione obseruauit BORRHA AVIVS aquae formidinem e). Secundo post eruptionem variolarum die f), morbillis fauces occupantibus, et in febre scarlatina, faucibus vehementer inflammati, octauo die aquae timor accessit g). In summo hysterici mali impetu h), in hydrope i) et vtero inflamato k) eundem viderunt medici.

C 2

§. XII.

a) SALMVTH. obseru. Cent. III. obs. 52.

b) LENTIL obseru. Fas. I. p. 59.

c) SAL. DIVERSVS de febr. pestil. Cap. 19. p. 362.

d) Medical essays T. I. obs. 29.

e) Refer. V. SWIETEN. l. cit. ad aphor. 1130.

f) JAMES I. c. pag. 2.

g) BROGIANI de veneno animantium.

h) MEAD de venen. p. III, in oper. T. II. BRVCE differt. de hydrophobia. FALETHI in diar. venet. T. V. LAYARD l. c. p. 47.

i) Hamburg. Magaz. T. I.

k) SAGAR system. morbor. Duos eiusmodi casus refert GESNER. in Einleitung etc.

§. XII.

Neque maiores nostri hanc hydrophobiae speciem ignorasse videntur. Declarat enim CAEL. AVRELIANVS, sine manifesta causa i. e. sine morbo animalis rabidi, alioue contagii conceptionis modo, hanc passionem corporibus innasci, quum talis fuerit perturbatio systematis nervosi, sponce generata, qualis a veneno a), atque ARETAEVS perhibet, similia in corpore generari, quae extrorsum adueniant, paremque noxam creare posse b). Certe quoties ea qualiscunque nervorum morbosca mutatio, quae a veneno intus suscepito perfici solet, ab aliis causis fit, toties idem effectus prodibit. Differt tamen spontanea haec hydrophobia et symptomatica eo, quod non tantum vitae periculum minetur, quantum illa contagiosa, et remediis facilius cedat c). Hinc quoque non defunt medici sentientes, veram hanc non fuisse hydrophobiam, ac

faepe

a) Acut. morb. Lib. III. cap. 9.

b) I. cit. Lib. I. Cap. 7. pag. 5. Perinde hydrophobiam ab interna causa oriri, docuit GVIDO PATINVS in epistolis.

c) APOLLONIVS PERGAMENVS afferit, multos, quibus aquae metus aliunde superuenisset, fanatos esse; neminem contra, cui canis rabidus mali causa fuerit, vid. ORIBAS. ad EVSTATH. Lib. VIII. C. 13, cui assentient medici nostri.



saeppe pro ea anginae speciem esse habitam *d).* Atque nosmet ipsi non negamus, eam, quae spontanea vocata sit, simulac morbi veram manifestauit naturam et indolem, forsan a morfu praevio, haud aestimato, aliaue variiori de cauſa, de qua (§. VIII. et IX.) monuimus, nonnunquam a longo inde temporis interuallo potuisse originem trahere. Diutissime enim morbum posse recondi, absque edito effectu, (§. XIII.) nemo est, qui ignoret. Sed a ratione alienum putamus, obſeruationibus antea allatis omnem plane fidem velle denegare, quae potius nobis persuadent, dari, quamvis rarissime, verae hydrophobiae spontaneae, ex morbo aliaue cauſa et cum morbis aliis natae, exempla *e).* At, ne nimis a meta aberremus, haec de aquae metu absque contagio haſtenus.

§. XIII.

Iam ad contagiosam hydrophobiā revertimus. Quamuis eius venenum tantæ

C 3

effica-

d) Ios. DARBY the Virtues of Cinnober and musk against the bite etc. sic iudicat.

e) Vid. adhuc PETRI BORELLI hist. et obſer. Cent. 3. obs. 83. REYES l. c. quaef. 61. A. N. C. Dec. II. ann. VI. obs. 200. LAYARD l. c. Fusius de bifce egit FRIBOLET *de la LANCE* in diff. de hydrophobia sine morfu praevio, quae continetur in III. BALDINGERI select. opusc. med. pract. Vol. I.



efficacie sit, in peruerienda sanitate vitaeque viribus infirmandis, nihilominus eius effectus statim post applicationem in conspectum veniunt, sed ocyus modo, modo se-rius, plerumque vero elapsis diebus trigin-
ta vel quadraginta a), nonnumquam vero post longiorem moram b). Exstant exempla ortae hydrophobiae post tres c), qua-
tuor d), quinque e), septem f), octo g), vndecim h), menses, post integrum an-
num i), post sesquiannum k). post tres an-
nos l), post sedecim annos m), peractis
annis octodecim n), viginti o), immo qua-
draginta

- a) AEGINETA Lib. V. Cap. 3. pag. 74. AETIVS lib. VI. Cap. 24. p. 107. MORGAGNI epist. 8. n. 25.
- b) ibid. no. 22. Tom. I. pag. 119.
- c) ibid. no. 27.
- d) SCHWARTS diff. de hydrophobia cert. pag. 7. SCHMVCKERS *Wahrnebm.* Tom. II. pag. 169. refer. HORN.
- e) MORGAGNI epist. cit. n. 22. T. I. pag. 120.
- f) AEGINETA lib. cit. FORESTVS 10. obs. 78.
- g) FRACASTORIVS de morb. contag. Lib. II. C. 10.
- h) MEAD I. cit. pag. 137.
- i) CALENVS Comment. II. in Lib. I. praedict. Hippocr. CHARTER T. VII. p. 735.
- j) HERNANDEZ rer. med. mexic. thes. p. 492.
- k) AMATVS LVSITAN. Cent. I. schol. curat. 41.
- m) MVS. BRASSAVOL. Libr. II. aphorism. com.
litterat. 23.
- n) GVAINERIVS de venen. cap. 12.
- o) E. N. C. Dec. I. an. 9. et 10. obseru. 43.



draginta p). Quod si etiam posteriorum ca-
sum certitudinem cum MORGAGNIO in
dubium vocaremus; priores iam fatis con-
firmarent, eo usque virus in corpore quie-
scere, quo commoda ansa in motum actum-
que constituantur. Quam proprietatem prae-
reliquis aliis venenis huic natura dedit.
Propius ei accedit venereum contagium hac
in re, quod per fatis longum temporis in-
teruallum in corpore latet, nec tamen suam
sanitatem destruendi vim amiteat, eamque
data copia exferit q). Siue rabiosum vene-
num ac venereum eadem via corpus hu-
moresque penetrare statuas, quae est, se-
cundum BOERHAAVIVM, sita in cellu-
losa tela, siue cum clar. NVGENT vene-
num hydrophobicum sedem figere in parte
vulnerata, et per consensum neruorum mor-
bum excitare affirmes; tamen rationem di-
turnae et innoxiae morae veneni nobiscum
pones in quatuor his, primo vel in acrimo-
niae gradu et quantitate illati vene-
ni, vel secundo, in praeuia neruorum dispo-
sitione aegroti, vel tertio, in rebus extra-
neis corpori vim inferentibus, et quarto, in
loci vulnerati sede et indole. Quod ad pri-
mum actinet, scimus, eo insignorem esse
morbi malignitatem, eoque maius pericu-
lum inferri, quo maiori rabiei gradu laborat

C 4 animal

p) REIES l. cit. quaeſt. 61.

q) MASSARIAE pract. med. p. 887.



animal demordens ^r), quo maior saliuæ venenatae abundantia est, et quo magis nuda est pars contaminata. Quum animal multis iam mortibus copiam saliuæ diminuerit, eius mortus adeo haud nocent, ac primi illi. Mortus porro et vulnera, dilaceratis ante vestibus, inflicta minus periculum afferunt. Quoad secundum, aegrotorum ad spasmos et laesione irritabilitatis pronitas fauere morbo potest. Caeteris hinc paribus, temperamentum irritabile magis pericitatur, quam contrarium. Cum hoc coniunctum est tertium momentum. Ad externas res, animi affectum excitantes, in primis attendendum est. Ira nempe, ipsius iam infaniae gradus, terror, timor ^s), amoris ardor ^t), multum ad morbi accelerationem

CON-

- ^r) Aphorism. 1133—35.
- ^s) Ex timore senex annorum LX in sinistro, metacarpo demortus, nullum hydrophobiae indicium per tres menses praebens, postquam atrocibus minis et verberibus grauius a quodam exceptus est, in hydrophobiam incidit funestam, MORGAGNI epistol. VIII. no. 27.
- ^t) Terribilia huius rei documenta exstant. Nobilis quidam, ante aliquot annos a cane rabido vulneratus, ab omni hydrophobia suspicione liber, nuptias celebravit; primos autem amoris fructus decerpere tentantem rabies corripuit, in qua furiosus amatae sponsae faciem, scapulas, brachia aliaque loca carnosiora dentibus arrostris et dilacerauit, canis plane more. SALMVTH obseru. 96. Cent

I—



confere videntur. Corruptioni humorum et cachexiae parum tribuendum est, et non prius quam quinto mense rabie laboravit puer demorsus, tinea et scabie foedus u). Quod autem ad locum vulneratum attinet, adnotat ill. SAVVAGES v) collatis observationibus, eo citius rabiem prouenire, quo pars affecta minus a saliuæ fontibus distat, et quo magis immediate saliuæ inficitur, per vulnus faciei, oscula, cet. Dantur vero huius regulæ quoque exceptiones. Duo exempla exstant in MORGAGNI operibus, saepe iam citatis, illi contradicentia, in quorum uno ultra quadragesimum diem fatus permanxit puer in buccis vulneratus w), et in altero morbus quinquagesimo die se manifestauit virginis, cuius labrum catulus momorderat x). Pedibus nudis supra sputum infantis hydrophobi incesserunt non-

C 5

nulli

1— Alterum refert LAYARD. In comitatu Galway in Hibernia vir quidam ante tres annos demorsus, hucusque autem fanissimus nuptias celebrans in prima nocte correptus rabie est, sponsæ abdomen dissecuit, euulstisque hepar. Ad clamorem propinqui properant eundem inuenierunt furiosum et hepar in ore tenentem, idque deuorantem, cultro armatum l. cit. pag. 61 fd.

w) MORGAGNI l. cit. n. 22. T. I. pag. 120. n. 29.
ibid. p. 126.

v) tract. cit.

w) Epist. cit. pag. 120. T. I.

x) ibid. no. 29. pag. 124.



nulli homines innocue; quod vero densitati epidermidis potius, et quod de pedum plantis sanguinibus conspurcantem ingrediendo abstinerint, tribuere mallemus, quam distantiae glandularum sanguinariarum.

§. XIV.

In sectione corporum rabie canina eneaturum hominum varia mala corporibus innata detexerunt praeclari anatomici. De glutitionis organa inflammatione correpta, ut plurimum inuenit TAVRY a), quod etiam vitium in ventriculo et intestinis interdum visum est b). Nullam vero inflammationis notam adfuisse, docet BONE-TVSC c). Atque hinc inflammatio partium pro effectu potius, quam pro causa cum SWIETENIO habenda est, qui monet, inflammari partes dictas ex protractione hydrophobiae, quae si vero citius enecauerit, nullam in conspectum venisse inflammationem internam. In cerebro, faucibus, visceribus thoracis intimique ventris nihil praeter naturam inuenit MEAD, nisi magnam copiam bilis viscidae et virentis in-

venti
vene
totici
mus
vacu
vent
guin
vacu
exp
tea,
tra
omni
med
stino
mod
tio,
de
in sit
cis
com
da r
hydr
daue
non

d) B
e) B
f) H
g) B
h) H
i) ibi
k) B

a) Hist. de l'Academ. des sciences 1699, pag. 55. Intervititia membranosa cartilagineorum asperae arteriae circulorum intensissime rubentia visit ZWINGER, E. N. C. Dec. 3. an. 2. obs. 104.

b) HERNANDEZ libr. cit. pag. 494.

c) Sepulchret. T. V. Sect. 8. obs. 10.

ventriculo. In conspectum nonnumquam
venerunt pericardii siccitas *d*), oesophagi
totius angustatio et constrictio *e*), nigerri-
mus sanguis in dextro corde, sinistro plane
vacuo, pulmones sanguine scatentes *f*),
ventriculi cordis vasaque maiora tenace san-
guine plena *g*), arteriae crux plena, venae
vacuae, sanguis valde resolutus, aerique
expositus vix in coagulum abiens, licet ante,
viuente adhuc aegrotō e vena misitus, in-
tra tres dies coagulauerit *h*), muscularum
omnium intestinorum et viscerum, cerebri,
medullae spinalis inconsueta siccitas *i*), inte-
stinorum crassorum inflatio ac distensio im-
modica, nonnulla eorum simul inflammatio,
pars hepatis decolor, vacuus nec val-
de coarctatus ventriculus, intestina omnia
in situ praeter naturalem disposita, thora-
cis contenta secundum naturas regulas
comparata *k*); exorta est interdum in frigi-
da regione putredo citissime post mortem
hydrōphobi lenius aegrotantis, in cuius ca-
daure cerebri et cerebelli siccitatem nec
non sanguinem ad concretionem prouum
magis

d) BONET. l. cit. pag. 272.

e) BRECHTFELD in BONETI l. c. obf; 2a

f) HERNANDEZ l. cit.

g) BONET. l. cit.

h) Hist. de l'acad. des Sc. l. cit.

i) ibidem BONET l. cit. p. 210, 222.

k) BRUGGE differt, citat.



magis, quam dissolutum obseruarunt ^{l)}; cum omnis putredinis nota in cadavere longe vehementius aegrotantis, sub feruida tempestate absuerit. Manifestauerunt præterea fæse in cadaveribus hydrophorum liuor colli, ventriculi vasa sanguine distenta et obruta, iecinoris pars magna liuida, fœlea vesica bile fusca maxime scatens, septum transuersum nonnihil inflammatum, pulmonum posterior pars a sanguine accumulato nigricans, sanguis ater, suprema pars gulæ, pharyngi nempe vicina, nec non pharynx ipsa vniuersa, larynx asperaque arteria in interiori superficie nigricantes et gangraenæ proximæ, lingua solito crassior ^{m)}. Sed haec hactenus. Taedet recensere plura in sectionibus varia sibique contraria visa, quorum iam collegit diueritatem et demonstrauit MORGAGNI ⁿ⁾, quae impedit, quo minus ad naturam morbi inuestigandam sectionibus uti possimus. Eorum varia indoles quidem partim a maiori minorie vehementia et diuturnitate rabiei, partim a predispositione corporis ad hunc illumue morbosum statum dependere videtur. Sic aegroti, sanguine ad statum phlogisticum prono, obortis motibus rabiei vehementibus, turbataque circulatione humo-

^{l)} MORGAGNI I. cit. n. 23.

^{m)} ibidem n. 25.

ⁿ⁾ I. cit. n. 30. 31. 32.



humorum, longe facilius inflammatione locali corripi possunt, ac alii aegrotantes, quorum humores ad biliosam diathesin magis vergunt, quamquam iisdem motibus conuulsus sunt agitati; solent enim hi posteriores frequentius in biliosas febres incidere. Cum vero mutationes varias corporis, a variis his morbis productas, sectiones anatomico-patologicae hydrophoborum monstrant, patet quam diuersae esse debeant. Non solum autem motu praeternaturali in toto neruorum systemate, omnibusque musculosis partibus tristes effectus in aegroto corpore edere potest, et sane edit hydrophobia, sed etiam pessimo suo symptomate, quo ad tenacitatem diluendam, et acrimoniam inuolendum atque arcendum fluida ingeri nequeunt, quamquam maxime necessaria sunt, ob increcentem fluidorum in corpore inopiam, dum partim sudore saepius promanante, partim salvia effluente copiosa eorum omni temporis momento haud parua quantitas excernitur. Exsiccati hinc corporis solidia, fluidaque inspissari, mirum non videbitur. In omnibus autem anatomicorum notatis, quae ad sectiones hydrophoborum pertinent, nihil inuenimus, quod status cadaverum semper monstrasset, et nihil quoque est, in quo conueniant morbi symptomata, nisi quod aqua metuatur, quod ventriculus valde doleat, et quod faucium spasmus impe-



impeditur deglutitio. Itaque concludimus, ad naturam morbi explicandam frusta inuestigari viscera. Atque si pro stabilienda sua sententia egregii viri sectiones in medium proferunt anatomicas; facile perspicet quisque, eas tunc saltim anatomicas obseruationes adduci, quae ad scopum pertinent, negligi autem reliquas. Sic illi, qui hydrophobiam ad anginae genus referunt, alias, et alias iterum illi proponunt, qui, eandem esse febrem biliosam putridam, praecipiunt. Ob cadaverum autem dictam diuersitatem suadet ratio, in illis corporis partibus cauillam efficientem morbi esse ponendam, quarum mutationes sensus fugiant, nec cultro anatomico patescere posse. Ergo in neruis morbus ipse erit quaerendus, et eius effectus erunt symptomata in corporis partibus diuersimode morbose mutatis obseruata, nisi iam ante conceptam rabiem morbo quodam affecti fuerint aegroti.

§. XV.

Ex hucusque dictis satis intelligitur, in hoc morbo nihil fere constans, nihilque perpetuum esse, multaque contraria inueniri. Quo circa in explicanda veneni morbique natura et sede, in maxime diuersas sententias abierunt omnis aeuī medici. Sic veniam contagiosum acidi generis esse alia;

aliique

a) LE TELLIER et GARNIER disq. an rabies ab acido, Paris 1738.

aliique alcalini generis b) praeceperunt.
 Atque, si ex ratiocinio quid statuendum
 esset, posteriori sententiae subscriberemus.
 In animalibus enim carnioris ut pluri-
 sum venenum generari, experientia doc-
 uit, atque in his alcalinum longe magis
 acido praeualere certum est, quo circa, si
 acrimoniam veneni suspicamur, eam alcali-
 nae volatilis naturae esse, maxime nobis
 persuademus. Certum vero est; inesse ei
 acrendi adhuc proprium quid incognitum,
 quo hunc semper morbum et non aliud
 producit, cuius origo ab acrimonia mere
 alcalina deriuari nequit; his enim bouillae
 venenum, vulneribus recentibus illatum, hanc
 luem, numquam autem caninam rabiem
 excitavit, sic quoque contagium variolosum,
 venereum, pestilentiale, febrisque qualis-
 cunque contagiosae et puridae aliud, suum
 morbum semper procreauit, non vero ra-
 biem, et tamen omnium horum veneno-
 rum natura habetur alcalina volatilis ex multo
 torum medicorum iudicio. Verminosum
 esse venenum hydrophobiae, alii finxerunt,
 quum canes eadem defuncti vermisca-
 tere visi sint c). Sed saepe nullum inuenie-
 runt vermem anatomici. Nihilominus figu-
 ras illorum vermium aere incisas exhibuit,
 nescio

b) Act. acad. Mogunt. T. I. pag. 341 sq.

c) Plura de hoc vid. MORGAGNI epist. cit. n. 33.
 T. I. pag. 131.



nescio quis Gallus d) et ex saliuā canis rabiī, in veste dilacerata relicta quarta post mortsum die vermes capitibus catulas referentes, enatos esse, refert SALMVT HVS, nimis in hac re credulus e). Potuit nimirum fieri, vt eo loco, quem saliuā canis madefecerat, ouula deposuerint muscae, et pullulauerint vermes, pro alio vermium genere eoque mirabili habitos. Ingeniosissimam quidem sed haud satis probandam opinionem in medium protulit LE CASMVS, contagium nempe esse phosphorum quendam, electrico igni haud absimilem, qui incendens et per vasa sanguifera sese dispersens morbum proferat f). Quae refutatione non indiget, quum nemo anatomorum eiusmodi phosphorum inuenierit. Cæterum vero, qualiscunque sit veneni mistio, miasma illud contagiosum volatile esse, multis partibus saliuæ vel muci inuolutum quiescere, atque solidis corporibus partibusque animalium firmiter adhaerere posse, donec mora aliisque ex causis attenuetur, euoluatur, in motum ducatur, fluidis admisceatur vitali motu circulantibus, neruisque applicetur, atque tunc morbum excitare, egregie proponit SAVVAGE g).

§. XVI.

- d) Systeme d'un moderne Anglois sur la cause de toutes les espèces de maladies cæt. p. 14.
- e) Obseruat. medic. Cent. II. obseru. 83.
- f) Memoir. sur divers sujets de medecine Vol. I.
- g) Sur la rage.

49

§. XVI.

De loco, quem praecipue occupat venenum, morbi itaque sede, diuersa iudicia inscriptis medicorum inuenies. In ventriculo *a*), alii eam posuerunt, in stomacho *b*), alii, alii in corde, stomacho et diaphragmate *c*), alii in faucibus *d*), in hepate *e*), in cerebri membranis *f*), alii tandem in cerebro et toto neruorum systemate *g*) male affecto. Quodsi enim consideramus phaenomenorum in aegrotis eorumque cadaueribus diueritatem, non mirabimur contrarietatem harum sententiarum, omnes enim suis corroborantur argumentis, nisi caufa morbi a morbo ipso et ab effectu morbi bene distinguitur. Videntur enim in nonnullis individuis ventriculus, in aliis praecordia, aut fauces, aut hepar systemaque varorum secretioni bilis inferuentium, in aliis denique cerebrum prae caeteris morbose

D affici.

a) ARTEMIDOR. apud CAELIVM in acut. Lib. III. cap. 15.

b) ARTORIVS apud eund. ibid. cap. 14. BOERHAAVE aphorism. 1138.

c) MAGNVS EPHESIUS apud eund. ibid. Cap. 4.

d) AROMATARIVS loc. cit.

e) LAYARD loc. citat.

f) ASCLEPIADES apud CAELIVM l. cit. c. 17.

g) Post HEROPHILI sectatorem DEMOCRITVM MORGAGNI, MEAD, BOERHAAVE eiusque commentator cum plurimis recentiorum medicorum vid. libr. citat.



affici. Quum vero interdum cadauera nullam praeter naturalem mutationem sub sektionibus ostendant, quae tam vehementis morbi symptomatibus causam suppeditare potuisset, quamque mala constitutio cerebri atque neruorum saepe saepius per anatum detegi non possit; a veritate haud aberrare eos existimamus, qui potissimum et primo neruos et cerebrum a contagio veneno volatilisato laedi, atque in his partibus pernobilibus morbi sedem quaerendam esse, afferunt. Quibus vero partibus, morbo occupatis, earumque actionibus turbatis, totum corpus animale, functionesque animae vehementer mutari posse, ac mirum in modum perturbari, quilibet physiologiae gnarus facile perspiciet.

§. XVII.

Vt de sede mali, ita de eius natura et genesis varie senserunt medici. In tres autem praecipuas sententias abierunt, quarum una anginae speciem haberi a), altera ad febrium classem pertinere b) tertia neruorum morbum esse statuit c). Quaelibet earum suos habuit defensores, suaque argumenta, de quibus breuiter agere pro scopo sufficiet. Illi omnes, qui a vicio topico

gulae

a) Ab AROMATARIIS I. cit.

b) SELIG dissert. citat. LAYARD I. cit.

c) Auctores f. anteced. not. g) citat.

d) Diff

e) BOR

n. 30

f) Phili



gulae, morbum deduxerunt, male distinxisse
videtur deglutendi fluida difficultatem
simplicem ab ea, quae cum horrore, metu
et conuulsu motibus coniuncta esse in ra-
bie canina confuevit. Ab AROMATARIIS
perhibens, gulae et faucium inflammatio-
nem inducendo venenum efficere malum
totum d) primo refutatur sectio anatomica,
nullam inflammationem interdum de-
monstrante, dum saepius e contrario hae
partes omnis vitii expertes sunt e), deinde
illa indubitate obseruatione, quod deglutitio
ciborum non plane laedatur, sub impedita
plane bibendi facultate, et quod interdum
aquam metuentes cibum aude deuorent f),
cum anginosi id facere nequeunt; porro hy-
drophobi non possunt deglutire, non solum
angina laborantium instar, sed cum horrore
plerumque auersantur potum, quod angino-
sis consuetum non est, et si non etiam ti-
ment potum, ac bibere student, immo ut
haurire potum possint, optant, admoto
tamen poculo ori fere strangulantur, et con-
vulsu motibus toto corpore contremiscen-
t. Hoc etiam vehementissima angina
affectis nunquam accidit. At vero anginam
huic morbo sese associare, ex obserua-
tionib[us]

D 2

d) Diff. cit. P. 2. pag. 6.

e) BONETI l. c. pag. 211. MORGAGNI epist. cit.
n. 30. 31.

f) Philos. Transact. T. V. pag. 366.



nibus patet, nec, dum fauces vehementi
saepaque diurna spastica constrictione in
hydrophobia afficiuntur, inflammationem
ibidem sub statu humorum phlogistico na-
sci, rationi sane contradicit. Atque haec
adscititia et symptomatica angina esse vide-
tur, quam in sectione anatomica viderunt
clarissimi viri *g*), quamque ex errore de mor-
bi genesi accusarunt nonnulli. Haec eadem
argumenta quoque contra *NON ETI* sen-
tentiam pugnant, quam quidem ill. *MEAD*
amplexus est, nimirum ab intumescientia
glandularum gulæ extrinsecus appositorum
deglutitionem impediri, quod symptoma a
potulentis fungosam glandularum substan-
tiæ intrantibus augeri debet, viam enim
glandulae tumefactæ potui praecludunt,
cum e contrario solida comprimento viam
sibi aperiant, beneque deglutiuntur *h*). At
interdum sine timore aegroti comedunt iu-
scula *i*), praesertim, quæ pelluciditate aquam
non referunt, atque sic fluida hauriendi et
bibendi impotentes, cochleatim sumere nihili
dominus possunt.

§. XVIII.

Ad febrium classem referentibus hydro-
phobiam, febrilium motuum praesentia,
accu-

- g) VAN SWIETEN* Tom. III. pag. 562.
- b) Sepulchret. anatom.* Tom. II. pag. 748.
- i) V. SWIETEN* T. III. pag. 555.



accumulatio bilis et bilioſo mucidae materie in primis, vt dicunt, viis et ſanguis resolutus rationes praecipuae ſunt, quibus rem ſuam conſirmare ſtudent. Eſſe praecipiunt febrem malignam, generi phrenitidis propinquam, contagium ſplenem primo inuadere, bilem alterare, vt ad putredinem vergat, et febrem bilioſo-putridam accendat. Verum enim vero ex obſeruationibus ſcimus, non ſemper diſteſtum cadauer bile ſcatere vitioſa, non ſemper cito putreſcere, vti ſolet poſt praegreſſam putridam febrem. Atque ſi a corrupta bile hydrophobia originem traheret, quidni eadem faepius occurrit in febribus ex cauſa hac natis? Ergo colligimus, ad naturam morbi neque febrem requiri, neque bilem morboſe mutatam, neque ſtatum putridum. Cum vero febris haec interdum apparens coniuncta ſit cum hydrophobia, nonne potius ſymptoma erit, aut morbus ad morbum primum veheſentem accedens, et itaque hydrophobia, quae ſibi adiunxit febrem, nonne morbus complicatus? Veriſimile hoc nobis aequē videtur, ac idem de angina §. anteced. diſtum. Inquietudine aegrotorum rabiosorum, inopia potus diluentis bilem, humores omnes maximopere inacrefcunt. Motibus inordinatis ſpasticis et conuulſiuis hi humores valde exagitantur. Atque hinc ſaeuiffimae febres ſuboriri poſſunt, bilioſae, bilioſo-

D 3



liofo-putridae, bilioso- inflammatoriae, et.
Cum febre, statim hydrophobia raro incipit, nisi antecedant causae aliae febrem generantes. Plerumque febris progrediente morbo in altero eius stadio prouenit, et incremente eodem augetur, id quod nostrae suspicioni fauet. Prout autem ad eiusmodi diathesin, quae febri ansam praebet, aegroti dispositi sunt; febris ipsa tardius vel citius in conspectum veniet, vel prorus, deficiente ea diathesi, plane non aderit. Ut autem eiusmodi febris periculum vitae valde adaugere valet, ita attentionem sub curatione hydrophobiae summam meretur, et si fieri potest, ea prophylactice auerti debet remouendo, acrimoniam iam collectam et cauendo, ne ea noxam afferat.

§. XIX.

Transeamus ad tertiam de natura morbi hydrophobiae sententiam, quae in alteratione nerorum et cerebri ponitur. Qui fiat, ut hydrophobi neque deglutire possint fluida, neque sine metu et horrore videre, nec de iis loqui sustinere queant, problema semper quidem manebit explicatu difficile, quam eas partes, quarum mutatione hoc fieri videtur, sensibus nunquam penetrare possumus. Defudarunt in eo resoluendo maiores nostri, et eorum successores, et hodierui medici, etiamque po-

steritas

sterita
morb
deteg
suffici
quod
cul a
nation
hydr
no o
eo te
medi
Nam
lida f
hucus
aqua
phob
funt /
num
uersi
tame
rant l
tum
runt.
quan
morb
nequ
mort
eume

a) BR
b) BA
d) PR



steritas defudabit; neque tamen modus, quo
morbus mutatis nervis generetur a veneno,
detegetur. Sed nobis, re ita comparata,
sufficiat, de eo id percipere, et tantum,
quod et quantum iusto ratiocinio, haud pro-
cul a veritate, iudicare nobis licet. Imagina-
tionem perturbare venenum, ut omnino
hydrophobi reformident, quae huic vene-
no opponantur, BRAVNS existimauit a)
eo tempore, quo in vsu aquae praecipuam
medicationem morbi posuerunt medici.
Nam compertum est medicamina sub so-
lida forma aegris data ab his deglutiri, et
hucusque plane non conuicti sumus, vsum
aqueae morbum tollere, multi enim hydro-
phobi, bibere licet didicissent, mortui
sunt b), omnia astu humida venenum inter-
num augent, hincque hydrophobis sunt ad-
uersissima, secundum RVDII placitum. At-
tamen fluida cochleatim sumta, deglutie-
rant hydrophobi c), quae veneni incremen-
tum non largita sunt, nec morbum auxe-
runt. Finxit SENNERTVS antipathiam
quandam venenum, inter et aquam, qua
morbi impetus, illata aqua, recurrat; hinc
neque balneum, neque potum aquae ad
morbum debellandum quidquam conferre,
eumque potius exasperare iudicat d). Ve-
risimi-

D 4

a) BRAVNS Salmaticens. in libro de hydrophobia.

b) BAVHINI supra citata obseruatio. c) §. anteced.

d) Pract. Lib. I. P. II. Cap. 17. pag. 116.



risimillimum aliis, quod aliis iure absonum visum est, timere aegros fluida ea causa, quod in his canis figuram e) aut catulos f) conspiciant sibi terribiles. Sed idem timor aegrotum tenet, si mediante fistula e vase contexto liquidum atrahere tentat, ac ex aperito vase g). Neque vbia exstat obseruatio, quae testetur, aegrotos de suffocationis metu sub nisu bibendi querentes, mente adhuc integra gaudentes, de aspectu terribili caninae figurae in potulentis verba vnguam fecisse. Sentiunt tantum hi sub conatu fluida bibendi, vehementem et suffocantem gulae fauciunque talem constrictiōnē ac angustiam, qualēm hysterica passio asserre sollet h); qua progrediente et aucta, horrē secessit et metus in tantam auersationem liquidorum transiens, vt saepe non aspectū solum aut tactū, sed ne nomen aquae quidem audire sine summo horro sustineant, qui in furorem cum convulsōnibus atrocibus degenerat, et paroxysmum rabiei in tota vehementia suarēfuscat. Unde iam animaduertit SALIVS, aegrotos liquidā auersari omnia ob laesionem ab his allatis vel assumptis excitatam in internis partibus,

e) BACCIVS de venenis pag. 76.

f) AETIVS l. citat. quem refutavit PETR. SALIVS in tractatu de febre pestilent.

g) ASTRVC de Hydrophobia differt. p. 16.

h) LAYARD l. cit. cum sensu globi in collo haerentis.



tibus, et metum itaque rationi conuenientem esse putat i), cui quodammodo assentire videtur MORGAGNI, quem affirmat, aquae metum non esse delirii notam, nec sine ratione liquida formidari, dum eorum visus cruciatus afferat k). Sed si timor hic ratione sola dirigeretur, cur tanta cum eo iungerentur symptomata, quanta illa causa praeternaturalis, nunquam vero sana mens, excitare potest. Interim haec opinio proprius ad eandem accedit, quae nostri aeui medicis maxime arridet, spasticam nempe et conuulsiam constrictiōnēm organōrum deglutiōni inferuentium esse causam impedititae deglutiōnis in hydrophobia, atque hanc constrictiōnē ab aqua augeri, et a quolibet fluido resuscitari, consopita si anteā fuerit, eamque negotiūm neruōrum ita perturbare, ut vehementissimi motus edantur in corpore, et animi facultates male afficiantur. Quodsi enim omnia singulaque morbi symptomata consueta contemplamur, talia ea esse inuenimus, qualia in aliis neruōrum motib, hypochondriaca, hysterica passione, melancholia, mania, epilepsia, ceterisque se exferunt. Ex quibus iam intelligitur, neruōsum systema vehe- menter hoc mōrbo attentari. Notatu etiā dignum est, quod ut plurimum dolor in-

D 5 fultum

i) libr. citat. Cap. 19. non satis sententiam explicauit.
k) loc. supra citat.

sultum morbosum praegrediens, incipiat in parte affecta, atque per partem post partem, pro continuatione nervorum, eorumque situ, ad superiores partes adscendat *l*), et quum ad nucham collumque peruerterit, fauces constringat *m*), nisi vero dolor praefens ea via sese extendat, nulla hydrophobia praeuius licet morbi, appareat *n*). Neque quidem doloris propagatio perpetua est, et sine praeueniente eodem morbus sese manifestat, hoc tamen non repugnat nostrae conclusioni, sed illa adsertione, quod venenum in cellulosa haereat, nec ad massam humorum deferatur ante editum perniciosum effectum *o*). Fieri potest utrumque, teste experientia, salua nostra opinione, nervos inde praecipue pati. Eandem porro comprobat alia cum morbis nervorum similitudo, qua erumpere hi ac illi solent ad noui aut plenilunium *p*). Diuersitas symptomatum, et ratio cur in quibusdam exemplis miseri vel grauius vel lenius aegrotent, vel inconsuetis cruciatibus torque-

l) MORGAGNY supra citat.

m) LAYARD l. cit.

n) Homini ad plenilunium periodice dolebat pes olim demoritus a cane rabido, languebat corpore et animo, dolor non ascendebat, nec hydrophobia generabatur. Inunctione mercurii malum cessit. LAYARD l. cit. p. 126.

o) SAVVAGES ff. cit.

p) LAYARD l. cit. p. 105.



queantur vel aliis consuetis symptomatis
careant, a statu aegrotorum individuo,
a peculiari nervorum sensitibilitate et irrita-
bilitate, a corporis ad alios morbos maiore
aut minore dispositione, caeteroquin a ha-
bitu magis fano, vel magis valetudinario
pendere videtur, atque, si non omnia qua-
liaunque phænomena a male affectis ner-
vis per se deduci possunt, ab his tamen,
tamquam causa remota, nata eadem deduci
posse certum est.

§. XX.

Nihilominus fluidorum horror ex eo.
non satis patet, quod, conuulsionibus vi-
scera et vasa occupantibus, deglutitio pre-
pediatur, ut BOERHAAVE voluit, cui
magnum eius commentator subscriptit, con-
uulsiones oesophagi accusans. *Videntur*
enim, inquit, quaedam ex numerosis deglu-
titionis organis seruire imprimis depulsioni li-
quidorum per oesophagum in ventriculum, un-
de his conuulsus impossibilis fit liquidorum
deglutitio a). Idem vero accedit strangula-
tione hysterica laborantibus, sub qua omnis
deglutiendi nitus sive solida sint, sive potu-
lenta, irritus est, et siquid magno cum co-
natu depellitur per gulam, ingens anxietas
aegrotos prehendere solet strangulatoria.
Fluidorum tamen nullus adeat horror nec
metus,

a) Commentar. Tom. III, pag. 567.



metus, in strangulatione hysterica, sicuti
in hydrophobia obseruatur, et in postremo
hoc morbo haud plane intercepta ciborum
deglutitio, ut in hysteria. At porro contra
SWIETENIVM pugnat, quod non hor-
reant solum aegroti, dum potum assumere
conantur; sed dum etiam fluida attingunt,
eorumque motum percipiunt, imo non-
numquam, cum aerem inspirant, aut cum
aura frigidior ad collum adflat eodem hor-
tore ac conuulsionibus corripi solent. Huic
obscureae rei, ut satisfiat, cum a stomachi et
vicinarum partium conuulsionibus proue-
nire non videatur, primam ac praecipuam
hydrophobiae causam *in alterata nervorum*
sensilitate ponit ill. KEMME; haec est, *ea*
nervorum a veneno contagioso generata affe-
tione (ultra non determinanda) qua fit, ut
fluida quanam etiam ratione in nervos suam
exferant actionem, perferri nequeant. Inde
anima abhorret obscura ratione potulenta, cor-
pori inimica, vel etiam nomina eorum audita
eo vehementius, quo fortiores auersationes,
quae obscuris ideis debentur, esse solent iiii,
quarum motuia distincta ratione cognoscimus b).
Quam sententiam argumentis egregie con-
firmat

b) **BUCHNER** et **HAFFNER** dissert. de nonnullis
ad rabiem caninam et hydrophobiā pertinentibus,
Hal. 1767. §. 24 vsque 27. Cont. in **BALDIN-**
GERI sylloge select. opusculor. argum. med. pract.
Vol. I.

ffirmat idem auctor, hoc loco non repetendis. Quod vero in hydrophobia passionum neruorum notabilis obseruetur diuersitas, ei non repugnat, sed dari varios atque diuersos alteratae sensilitatis gradus, quales etiam in aliis neruorum morbis obseruantur satis superque constat. Multis enim hysterics, ut exemplo vtamur, odor suaveolentium adeo aduersus est, ut eum sentientes, in suffocationem, conuulsiones et syncopen incident, apud alios vero ab eadem causa tantos effectus et motus fortes non proferri, quotidie experimur. Exempla deglutionis fluidorum cochleatim sumtorum adeo rarissima existunt, vt vix ad infirmandam sententiam KEMMII valent. Interim liquida, non vero potulenta, sed iuscula assumisse hydrophobum, refert obseruator c) quorum cocta mucilago exceptionis a regula causam in se continere potest. Rabie tandem percitos didicisse potum hauirire, morbo nihilominus in mortem transeunte d) demonstrat, mitigari interdum symptomata morbi, morbo tamen persistente. Sic saepe aestus febrilis leniri solet, febre tamen continuante, dum causa eiusdem nonnihil a vehementia recedit. Atque ipsa aquae metus absentia sententiae KEMMII contraria haud est. In casibus enim,

c) vid. supra §. III.

d) BAVRINI obseruat. §. XI. allegat.



enim, qui eam demonstrant, nunquam defuit difficultas deglutiendi fluida potulentia) tamquam effectus primus alteratae nerorum sensitatis, quae tantum vehementiae gradum nacta non est, ut horrorem animae imprimaret. Sic quoque a MORGAGNIO adductae obseruationes rariores mitissimum, nihil tamen fecius malignum, morbi statum designare videntur f). E contrario vehementissimam neruorum affectionem tunc extare credimus, quando summo furore et delirio convulsionibusque paroxysmi stipati apparent. Totum enim corpus, sensorium commune ipsamque animam tunc atrocissimo affici morbo, nemo inficias ibit. Atque, pro dolor! haec consueta morbi est conditio g).

¶. XXI.

Ex omnibus hucusque praemissis, quilibet facilime perspiciet hydrophobiae varia genera dari, quorum primum est hydrophobia idiopathica sive spontanea, alterum symptomatica seu aduentitia, tertium contagiosa, cui rabiei caninae nomen imponimus. Quoties causa quaedam, quae neque est morbus continuans, neque contagium, sensitatem neruorum eadem ratione alterat,

ac

e) ibidem,

f) ibidem not. g) b) i).

g) Quam descriptis BOERHAAVIVS in supra §. II. citat, aphorism. 1138.



ac in §. anteced. diximus, toties sese manifestabit *hydrophobia spontanea*, quod factum licet perquam raro esse, obseruationes §. X. demonstrant. Quodsi eandem alterationem inducit morbus qualiscunque ita tamen, ut ipse continuetur aquae metus inter eius symptomata apparebit. *Hydrophobia symptomatica* de qua supra actum est §. XI. Sin autem ex morbo alio nascitur hydrophobia, ita ut morbi causa per metastasis, ratione adhuc lateente, neruos afficiat, et cefante praegresso morbo, hydrophobia remaneat; tunc adnumeramus hunc morbum idiopathicis hydrophobiis. Bene tamen et diligenter in vtrisque hisce generibus distinguamus inter laesam deglutitionem et aquae terrorem, illa anginae et hysteriae paroxysmis constanter sese associat, sed sine horrore et metu. Contagioso veneno excitari tandem funestam hydrophobiam, omniumque tristissimum morbum et pernicioſissimum, supra satis demonstratum est, quae ideo contagioſae nomen iure meretur. Atque haec ipsa est *rabies canina*. Eandem modo *simplicem* esse, modo complicatam febre biliosa vel inflammatoria cum inflammatione locali, paralyſi, delirio febrili, aliisque malis pluribus, supra allatae obſeruationes sponte comprobant.

§. XXII.



§. XXIL

De curandi et praeseruandi methodo
fusius hoc loco agere superfluum foret, cum
in aliis hac de re actum iam sit scriptis a),
nosque ut breuitati studeamus praescripti
fines libelli cogant. Vicitatem meloës ma-
ialis et proscarabæi interne dati, vsque
dum sanguis cum lotio exeat, simul adiun-
cto externo vſu cantharidum, vulneri illato
inspersarum, testatur nouissima experien-
tia b). Sed monendum etiam est, in pra-
seruatione aequa c curatione rabiei caninae
quoque complicationis rationem habendam
esse,

a) vid. CAR. FRID. STRVVE diff. de rabiei cani-
nae therapia, Lipſ. 1774. Cont. in 'BALDIN-
GERI select. Vol. I. LAVR. CRELLII anno-
tationes ad BRVCE differtat. in Auszüge der Haller-
schen Streitschriften T. I. pag. 580 seq. LAYARD
I. cit.

b) Bekanntmachung des specifiquen Mittels wider den tollen Hundsbiß, cet. a supremo regio Collegio medico ed. Bérol. 1777. IOAN. THEOPH. PAVLI
diff. Meloës Antilysticas, Frf. 1778. Geschichte der
Hundswuch, sammt den Beobachtungen über die Wirkungen
der Meloe, bey Gelegenheit der im August
1780 von würbendrin Hunden gebissenen Personen.
Von IOH. VON FRITSCH. Wien 1781. Der
Maywurm, ein Mittel wider den tollen Hundesbiss etc.
von CHRIST. SAM. VNGNAD. Züllichau 1783.
DEHNE im Hannöverschen Magazin 1778. 44—
46. Stück SCHWARTS præf. KEMME diff. de
hydrophobia eiusque specifico meloe maiali et
proscarabæo, Hal. 1782. et plur.



esse, et associato vel mox et facile erum-
pendo morbo socio opponenda esse reme-
dia, primarium licet malum compescere ne-
queant. Sic venae sectio sub inflammatio-
rio statu et plethorico, praesente vel instanti
febre inflammatoria; euacuaria emetica et
purgantia, accedente febre biliosa; antisepтика
sub nimia humorum et cruditatum ad putredi-
nem inclinatione, sique porro alia exiguntur
quae, nisi adsit eiusmodi complicatio, omitti
non solum possunt, sed debent, ne destru-
ant magis sanitatem, quam adiuuent. At-
que hinc lites dirimi facile possunt inter me-
dicos circa dictorum auxiliorum usum mo-
tae, quum alii ea valde commendarint, alii
reprehenderit; utriusque experientia docti.
Liceat adhuc obseruationem perill. **C O-**
T H E N I I mecum benigne communicatam
hoc loco afferre. Accidit enim, cum ille
adhuc Huelbergae felicissimo cum successu
in praxin incumberet, ut vnde uiginti ho-
mines utriusque sexus a cane rabido com-
morderentur. **XVIII** hos mox post mor-
sum omni mane trium sequentium dierum
drachmam limatura cupri in pane butyro
illito comedere iussit. Externe nihil, nisi
acetum vini acerimum sale mixtum adhi-
buit; qui et omnes in maximum suum gau-
dium salui a rabie peribiterunt, nec un-
quam eiusmodi incommoda experti sunt.
Vna autem virgo **XX.** circiter annorum,

E

quae



quae sperneret consilium, aliis pharmacis
vtens, statim tristissimum rabiei caninae im-
petum experta est, et quum opem preci-
bus moestissimis efflagitarent propinqui, nul-
lumque remedium externum vel internum
auxilium praebaret, cepit id consili, vt, ne
alios adstantes morsu vel spuma laederet,
vinculis membris ligatis caput totumque
corpus multa aqua perfundi iuberet, quo
facto placide obiit. Saepe numero id con-
tingit, vt canis rabidus non fuerit rabidus,
ideoque remedia adhibita magnam saepe
famam acquisiuerunt, sed cum illa aegrota
morbo ipso periisset, remedium hoc famam
experientia sustentauit.

§. XXIII.

Quamquam quidem nostris temporibus
tanta felicitas concessa est, vt remediis efficaci-
oribus morbum adeo terribilem et periculoso-
sum supprimere possimus; tantum tamen ab-
est, vt eius periculum tollere perfecte possint
experientissimi in arte viri, vt potius uno
ore fateantur, nunquam euasisse miseris ad
ultimum stadium morbo increscente, et
raro seruatos esse hydrophobia ingruente in
secundo stadio §. II. Omnis itaque cura
adhibenda est, vt auertatur venenosa infe-
ctio. Cuius rei causa solliciti terrarum prin-
cipes sapientissimas tulerint leges, quibus
impediri debet, quo minus morbus, ne in

cani-

a) H
b) S
c) M



canibus domesticis quidem erumpat, vel ad minimum impediendum est, ne morbus cum aliis animantibus communicetur. Quarum legum, ut reliquas taceamus, duas disquisitioni adhuc subiiciemus, nimirum alteram, quae vermem excindit iubet, alteram, quae hortatur et praecipit, ne caro rabie perciti animalis mactati in usum domesticum ad cibum suppeditandum adhibeatur.

§. XXIV.

Vermiculus, de quo PLINIVS com- memorat, sub lingua canum, qui vocatur a Graecis Lytta vel Lyssa *a*) et ad auertendam rabiem iunioribus canibus excindit solet, vermis cum non sit, aliis videtur tendo *b*) musculus, neruus, vas sanguiferum, glandula aut ductus salivalis, aliis peculiaris pars linguae adnata *c*) esse. Curatius tamen examen linguarum, ex quibus Lytta iam sublata erat, nobis persuasit, ea operatione neque musculos, neque tendines, neque neruos, neque vasa, neque tandem ductus Warthonianos laedi, et ad has itaque partes id, quod vermis nomine venit, referri non posse. Linguae caninae data sunt tria musculorum paria, aequae ac humanae, quorum fibrae in eius substantiam abeunt. Margines occupant styloglossi, prope hos vs-

E 2

que

a) Hist. natural. Lib. 29. cap. 5.

b) SCHMIDT L. cit. pag. 540.

c) MORGAGNI epist. cit. no. 35.



que ad apicem linguae fere porrecti Hyoglossi, et medium tenent locum Genioglossi, non aequae longi ac Hyoglossi, qui haud procul ab apice se inuicem attingunt, sique ad tertiam vnciae prolongati. Linguae apex ad longitudinem pollicis vnius et dimidi ex ore prominet liber et nullibi in ore adnatus, ideoque valde mobilis est. Frenulum enim linguae breuissimum originem partis liberae iam dictae non transgreditur. Posterior vero pars firmata est, ut in homine ita et in animalibus. Lyssa ipsa excisa quinque quartas vnciae longa terminatur finibus acutis quorum anteriori adhaerent fibrae nonnullae disruptae, quasi de re adhaerente quadam auulsa. In medio longitudinis crassities maxima aequat crassitatem calami coruini. Eius substantia a cartilaginea plane non differt, aequalis est, splendens, alba, absque fibrarum nota et elastica, excepto loco medio, qui faciliter potest inflecti, ac ubi laminam externam cartilagineam transparet interior rubicundo - incana substantia, ut intestina lumbrici terrestris. Dissecta lytra aequalem cartilagineam structuram monstrat, praeter locum modo dictum, continentem rubicundo - incanam substantiam, glandulae conglomeratae similem, paulo tamen solidiorem, quam consueta est glandularum compages. Quodsi in naturali situ consideramus lyttam, eius conditionem et utilitatem



tem commodius intelligemus. Collocata est infra linguam in media eius linea ab apice ad radicem tendens. Splendente sua albedine pellucet haec cartilago per tenue stratum muscularium fibrarum et cutem eam contegentium. Illud stratum efformant fibrae quaedam Hyo- et Styloglossorum muscularum. Inclinata lingua lytta flectebat se propria elasticitate ad dextram et, conuerfa vice, ad oppositum linguae motae latu tendebat sponte lytta. Retrorsum dueto apice linguae, lytta in profunditatem partis linguae carnosae se subduxit. Cuta dissecta, musculisque separatis lytta nihilominus in eodem situ adhuc inter Hyoglossos ac postica parte inter Genioglossos permanebat, ac ante hanc sectionem. Inuestigatio curatior docuit nos, cingi eam et contineri vagina tenui membranosa, quae retro illam in tanta longitudine continuat, quanta aequat longitudinem lyttæ ipsius et partis linguae liberae. Qua in vagina posterior lyttæ pars plane libera haeret nullibi adhaerens, anterior vero vna cum anteriori vaginae extremitate cum linguae apice firmiter concrescit. Quodsi nunc lingua retrorsum vel deorsum incurvatur, lytta tunc tota sua longitudine quidem in vaginam recedit, et itaque flexionem linguae nunquam impedit potest, sed potius eiusdem motum sequitur, quod idem euenit sub flexione

E 3

linguae



linguae ad latus; sed semper lytta in media sua magis flexibili rubicundo - incana parte incuruationem patitur. Ex quibus utilitas et conditio huius cartilaginis canibus et forsitan quoque vulpibus, et lupis, aliisque ad idem animalium genus pertinentibus, aut proxime ei accedentibus, quibus perlonga lingua est, praeceteris animantibus daceae, perpendi potest. Longissimae eiusmodi linguae firmitatem ea cartilago necessariam conciliat, salua mobilitate et volubilitate ei aequa necessaria. Qua in re cum tarso palpebrarum conuenit, magis tam motui linguae cedit in medio flexilis a)

§. XXV.

Iam quereritur, qui fiat, vt remotione lyttae praecaueri possit, ne in rabiem incidat canis. Primo autem confitendum est, ad vnum omnes, quibus hac in re obseruationes colligere contigerit, confirmare, canes, lytta antea exsecta, nihilominus hydrophobia tentari a), hos vero in hoc morbo rarissime vehementer furere, et plerumque in primo morbi stadio ad alterum

paulo

a) Ea, quae §. XXIV. continet, ex optimi Praeceptoris et Praefidis MAYERI summopere colendi tractatu, quem transmisit Collegio regio medico supremo, desumpta attuli.

a) vid. HEIDECKER vom Tollwurm in ill. Pyhs Magazin für die gerichtliche Arzneykunde, 2ten Bandes 3res Stück 1784. pag. 204 seq.



paulo accedente ad mortem vsque permanere, eorumque morsus adeo grauem ac nociuam vim non edere. Praesuppositis his, ratio quaedam ex data lyttae descriptione suppeditari potest ad hoc phaenomenon explicandum. Testimonia nimis-
rum supra exposita satis nos conuicerunt,
venenum in primis salivae immistum esse,
nec dubium de huius veritate restat. Porro
verum certumque manet, in rabie canina
partes colli, fauces et annexas vehementer
affici, ita vt perfaepe os, lingua, larynx
et pharynx inflammatione inde laborent.
Si itaque cartilago illa, sive lytta ademta
est, fieri maxime potest, vt fibrae linguae
sub tam atrocis affectione morbi huius canini
non adeo tendantur atque irritentur, nerui
linguales multo minus stimulentur, et per
consensum reliqui nerui, praecipue, ob
nerui lingualis, a tertio ramo quinti parisi
orti, minorem alterationem earum partium
nerui longe minus turbentur, quarum ope
animal mordet. Deest sub hac conditione
magna causa inquietudinis et saeuitiei furi-
bundae, quae canem rabidum fugam pete-
re ac mordere cogunt, sine qua alias rabies
canina non esse consuevit. Causa vero, qua
lytta orbatus canis morsu suo rabiem longo
minus communicet, in momentis sequen-
tibus inueniri videtur. Primo canis iste
summam morbi vehementiam non experi-



tur, in qua saliuia veneni vim praesertim acquirere solet, et maxime abundat. Minor enim inquietudinis gradus, motus plane cessantes, dum eiusmodi canis non circumagitur, sed quietior secubat, humorum temperantiam conseruant, et impediunt, quo minus eam plane destruat, siveque augatur rabies, maioremque efficaciam induat. Lenior deinde in ore stimulus afflumum humorum saliuialium non adeo sollicitat, et separationem veneni cum saliuia retardat. Itaque neque lingua neque dentes copiosa valde saliuia madesint. Denique lingua, erepta cartilagine, minus rigida prominet, et vulnus morbu illatum attingere minus potest, quo fit, ut minor copia veneni saltim vulnera externae superficie illinatur, nec infricetur altius, ita ut possit fluxu sanguinis, elutione vulneris, aliosqne auxiliis adhibitis commodius remoueri. Quibus ex rationibus, licet hydrophobiae fundamentum in lytta ponendum non esse, experientia testetur, eius excisio tamen maxime commendari meretur, quum rabies vehementia, ut plurimum tunc caret, quae sumnum detrimentum affert, relicta canibus lytta b).

§. XXVI.

b) Conf. L. CRELLY *Auszug der Haller. Streitschr.*
I. c. p. 326. MORGAGNI l. cit.

§. XXVI.

In iis regionibus, vbi lupi rabiosi morbum tristem cum gregibus communicant, cibo est caro animalium rabidorum, remotis capite et intestinis, atque hoc iam exiit in usus communes. Quantum autem periculum haec consuetudo, plane delenda, afferat, paucis adhuc demonstrabimus. Frustra obiicitur, sine damno cibari carnem, lue bouilla correptorum, quod licet negare nolimus; tamen eius contrarium ex collationibus observationibus elucet a) et, quum sciamus, venenum illud pestiferum, praeter genus bouillum, reliqua animalia et homines non inficere, (§. I.) tanta ab hac esca incommoda profectura non esse, perspicimus, quanta e contrario a carne rabiosi animalis comeatu, cuius venenum nulli animalium generi parcit. Ex communii quidem vulgi dictarum regionum opinione caro ista bene cocta sine omni noxa comeditur, cui etiam assentit clar. SAVVAGES b), carnem istam, collo et stomacho excepto, non venenosam esse, prohibens. At vulgi observationibus non est fidendum, quum hic, nisi effectus aduersus statim causam datam sequitur, illum huic adscribere non soleat, et per longam annorum seriem, sine damno sanitatis, venenum secum tulisse demorsos,

E s supra

a) KRÜNITZ oekonom. Encyclopaed. Tom. XIV.

b) Nosolog. method. Tom. III. pag. 356.



supra expositum sit (§. XIII.), atque iis idem accidere possit, qui cibando carnem venenum morbi intus suscipiant, quorum postea apparentem morbum a cibo hocce nunquam vulgus deriuabit. Nec illam opinionem, qua forsitan venenum eneruari succis herbivorum animalium, tamquam ad acidum vergentibus admistis putatur *c*), experientia confirmat. Scimus enim, non solum sues rabidos stramen adeo veneno imbuuisse, vt eius esu equi, boues, oves et reliqua animalia rabiem sibi contracterint ac perierint *d*), sed etiam carnem suis, a rabido cane demorsi, ad cibum consumtam omnibus eam comedentibus rabiem excitasse *e*), (cum quo conuenit, quod FERNELIVS de vsu et noxa carnis lupi rabiosi annotauit *f*), et ab esu lactis rabidae vaccae morbum eundem prouenisse *g*). Quae quoque SAVVAGESIO contradicunt. Bene itaque ac sapienter lege praescribendum est, vt qualecunque rabie percitum animal e medio tollatur et infodiatur terra, nec eius qualiscunque vius concedatur, si etiam

e) LAYARD.

d) ETTMÜLLER opera pag. 970.

e) BORELLVS Cent. I. obs. 75.

f) vid. supra §. IX. cf. HOFFMANN med. rat. syst. Tom. II. pag. 177 sq.

g) TIM. A GVIDENKLEE Lib. VII. de morb. venenat. Cap. 23.



etiam vel rarissime tantum incommodum eum sequatur. Adeo enim grauis, terribilis, cruciatuum plenus, omnique misericordia dignus est rabiei caninae morbus, vt summum studium, summaque opera adhiberi debeat, vt omnes, etiam remotissimae dicti morbi causae remoueantur.

ERRATA.

- p. 21. lin. 28. quorum l. *quocum*.
 — 23. — 13. *poerant* l. *poterant*.
 — 49. not. d) *Aromataria*, l. ab *Aromatarii*.
 — 58. lin. 12. *sed illa adsertione*. l. *sed pugnat porius cum illa adsertione*.



PRAE-



PRAENOBILISSIMO CANDIDATO,

S. D.

P R A E S E S.

Gratissimum mihi est, quod hodierna luce publico quadam testimonio testificari possim, Te maximo cum studio in nostra musarum sede singulis disciplinis medicis operam dedisse, morumque probitate ita excelluisse, ut non solum *Tibi* bene cuperem, sed etiam propter eximias ingenii *Tui* dotes atque diligentiam vehementer Te amandum putarem. Lubenter itaque, data occasione, aditum *Tibi* paraui ad summum *Tuum* Maecenatem, facile enim praevidi, Te felici cum augurio in illius domum atque familiaritatem intraturum, rebusque *Tuis* optime me prospecturum esse, cum seni venerabili,



nerabili, gratissima mentis recordatione a me
quoque colendi, illas committerem. Nec
me fecellit spes mea. Talem enim *Tē* gef-
fisi, qualem *Te* fore sperau. Berolini
enim animos omnium bonorum et praeser-
tim amicitiam *Viri Perillustris Cotherii*, de-
cuius in *Te* meritis profusius ipse iam lo-
quutus es, ingenuitate, humanitate, can-
dore atque probitate *Tua Tibi* conciliasti,
multaque eruditione in magno illo medica-
rum scientiarum Emporio denuo ornasti in-
genium *Tuum*. Summos in arte nostra
nunc capessis honores, mihiique haec con-
tingit felicitas, ut illis in *Te* conferendis,
viri meritissimi, discipulique olim aman-
tissimi felicitatem augere possim. Liceat
mihi, hac occasione exoptata non solum
amorem meū erga *Te* sincerum *Tibi* te-
stari, sed et omne felicitatis genus *Tibi* ap-
precari ex intimo cordis affectu. Vivas
terque quaterque beatus, capiant aegroti
summum ex consiliis *Tuis* solatum et auxi-
lium, sisque mei memor, cui memoria *Tui*
semper erit gratissima! Sc. Trai. ad Viadr.
d. I. Octobr. MDCCLXXXIV.

P. S.



P. S. Addere mihi liceat obseruatio-
nem quandam, mibi relatam, quae ad di-
fertationem *Tuam* proprius spectat. In pago,
nostrae vrbi vicino, ante aliquot annos a ca-
ne rabido demorata est vacca rustici pauper-
rimae conditionis, quae lacte suo illum et
filiam eius fere vnicē alebat. Ignorabant
incolae huius pagi, canem fuisse rabidum,
itaque lac huius vaccae comedere pergebat
rusticus cum filia sua. Post aliquot menses
vero vacca a rabie correpta mortua, intra
anni spatium et rusticum et filium hydropho-
bia inuasit, et utriusque tristissima morte perie-
runt.



PRAENOBILISSIMO
ATQVE EGREGIE DOCTO
B O E H R
I. T. P Y L,
D. REL..

Reddo, quod, antequam Gratiioso Medicorum Ordini Viadriño offerre volueris, perlustrandum inilhi praebere **TIBI** placuit egregium eruditioñis **TVAE** specimen. Nil reperi addendum, paucissima notanda, miratus **te** tam breui tempore, multa vero lectione adquisita dogmata tam arte retinuisse, tam accurate exposuisse et declarasse, propriisque explicationibus et additamentis ditasse. Nil supereft igitur, nisi vt, quem diu amavi virum egregiis animi et ingenii dotibus, vitaeque candore eximium, quem mei amantem compcri sincerum, strenuumque veritatis indagatorem, **TIBI** egregios profectus, eximum specimen, capessenda studiorum proemia ex animo gratuler. Minime dubito, quin felix aegrorum cura, proborum amor, omnigenaeque vitae felicitas **TVAM** sint sequitura indu-



industriam, TVAM comitatura probitatem
atque eruditionem. Sic dignus laborum
fruaris proemii, indefesso studio obtentam
cognitionem in aegrotorum salutem, rei-
publicae utilitatem propriamque exhibeas
felicitatem, vitam semper agas faustissimam,
amicorum memor, inter quos me semper
habebis sincerum, ad quaevis officiorum
genera paratissimum. Dabam Berolini,
Mense Septembbris, MDCLXXXIV.




v

01 A 6631


ULB Halle
004 931 246

3





Farbkarte #13



DE
HYDROPHOBIA
ET
ABIE CANINA.
3.

PRAESIDE
ANN. CHRISTOPH. ANDREA
MAYER

RENISS. PRINC. HEREDIT. BORVSS.
A CONS. AVL.

DOCT. ET PHIL. DOCT. MED. THEOR. ANATOM.
PSIOL. CHIR. ET ART. OBSTET. PROF. PVBL.
DIN. CIRCULI LEBVSIENSIS ET CIVITATIS
FRANCOFVRTANAEC PHYSICO, ACAD. CAES.
NAT. CVRIOIS. SODALI, H. T. FACVLT.
MED. PRODECANO,

GRADVM DOCTORIS
EDICINAE ET CHIRVRGIAE
LEGITIME CAPESSVRVS

IE OCTOBRIS CLCCLXXXIV.

PVBlice DISPVTABIT
AVCTOR
EORGIVS HENRICVS BOEHR,
FREYSTADIENSIS SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.